BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
18 B
45

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

74
D

13.6.c.29

74.8

Joannis Angeli

# EDICTVM PERPETVVM

A

SALVIO IVLIANO IVRISC.

COMPOSITVM.

A

GVLIELMO RANCHINO in Monſpe-
lienſi ſchola Anteceſſore, & in ſuprema
ſubſidiorum curia Occitana fiſci
Aduocato, reſtitutum.

Eiuſdem VARIARVM LECTIONVM
Libri Tres.

Bibliot. Secr.
Coll. Rom. Soc. Iesu




PARISIIS,
IN OFFICINA PLANTINI
Apud HADRIANVM PERI
via Iacobæa.

M. D. XCVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

*PHILIPPO HVRALTO,*
*Vicecomiti Cheuernij, vtriuſque ordinis Regij equiti, Franciæ Cancellario, Prouinciarum Aurelianenſis & Carnotenſis præfecto, Clariſſimo atque ampliſſimo,*

GVLIELMVS RANCHINVS. S.

VETERIS Edicti reliquias, quaſi tabulas è naufragio collectas, cui potiùs quàm tibi offero, Magne Cancellari, qui iuſtitiæ & legũ cuſtos exiſtis, nõ minùs ſcientia, quàm muneris iure? Vbi primùm à me reſtitutę ſunt, tuũ ſtatim ſinũ appetierunt, vt ibi quaſi in portu tutò quieſcere, ſemianimes reuiuiſcere, tandémque annare & perẽnare poſſint. Id ſanè per me liceat, qui lætus ac gratulabundus,

eas apud te depono, quaſi in iuris ac iuſtitiæ templo: tum quia id publicè expedit: vt quod edictum à Saluio Iuliano I. C. olim collectum, imperatoris Hadriani firmauit authoritas, eidem nunc rediuiuo ſummus iuris legúmque antiſtes afflatu ſuo nouas tribuat vires: tum etiam vt ſit inde teſtimonium obſeruantiæ in te meæ, quem vt principem togatorum regni columen atque decus, iuſtitiæ ornamentum colo atque veneror: cuíque perpetuam fœlicitatem ex animo voueo atque vnicè exopto.

# LECTORI S.

*QVisquis es lector, priuſquam ad hoc ſcriptum tuam intendas mētem, cape meam. Audax iſtud opus eſſe ſcito, & hominis maioris otij atque ingenij, quàm ipſe ſim: in quo quaſi odora canum vi vtendū fuit ad inueſtiganda priſcorum edictorum verba, eáque ex veteribus ruinis eruenda. Quin autem omnibus vtile futurum ſit, imò fortè & neceſſariū, nemo, opinor, negabit. Quid enim peius habet ſtudioſorum animos, quàm in infinitis iuris tractatibus iuriſconſultorum interpretationes ad edicta inuenire, verba ipſa edictorum, ad quæ iſtiuſmodi commentaria referuntur deſiderare? Aut truncata tantùm capita, vel etiam nuda verba huc illuc diſperſa, & quaſi ab ipſo ædi-*

*ficio diuulſa reperire? Sed erunt qui aut legibus de mathematicis nomen meum deferant, dum me aliquoties diuinaſſe comperient, aut me actum agere clamitent ob nauatam ab Æguinario Barone Iuriſconſulto ſuæ ætatis doctiſſimo fœliciter operam in manualium libris. Quibus principiò reſponſum velim, me fortaſſe paulo licentiùs quædam concinnaſſe, ſed rarò & perquàm timidè. Nam ferè ſemper ipſorum iuriſconſultorum interpretatione pro indicio vſus ſum. Vbi teſtatum inueni, de hac aut de illa re Edictum prætoris propoſitum fuiſſe, vbi etiam eius ſententiam reperi à iuriſconſultis relatam, ibi ſtatim animum defixi meum. At vbi & interpretatio & teſtimonium de Edicto defuit: Defuit etiam voluntas quidquam attingendi: quamquam in multis ſatis expeditè id præſtare poteram. Sed malui hac in re aut meam aut alterius operam deſiderari, quàm temeritatis argui ab ijs qui hoc etiam ipſum quod nunc præ-*

*ſtamus damnabunt, ſcio : Quibus non diffugio eam licentiam dare, vt ea reprehendant in quibus à nobis peccatum videbitur, modeſtè tamen, & ſi potis eſt, impetrari abſque amaritudine & mala malitia. Non verò vt conſilium improbent : ſed quando è publica vtilitate eſt, vetus illud Edictum habere, & eius quaſi faciem intueri, ſe ipſos interrogent, & experiantur numquid egregius quippiam procudere poſſint. Non admodum difficile ijs erit hominem occupatiſſimum, variiſque diſtrictum negotijs, addo etiam rudem & inſuetum in hoc ſcriptionis genere ſuperare. Cæterùm cùm in hoc ſtadium illi non deſcenderent, qui id poterant & debebãt, ego illud decurri, ab initio eo animo vt priuatim mihi prodeſſem : Poſteà neſcio quo impulſu ſententia nata, vt etiam publicè. At iam ante te Baro hoc præſtiterat, inquis: Fateor equidem, & præ me fero : Niſi quod inuiſum mihi opus illud fuerit, donec iam*

*prælo à me commiſſum hoc meum, tunc neſcio qua fortuna in meas manus venerunt eius manualia. Quæ vbi vidi, dicam liberè, pœnituit me confeſtim inſtituti mei, dum incaſſum me operam nauaſſe cogitabã. Nam iuro tibi neminem eſſe in toto orbe cui magis diſpliceat idem ſaxum voluere quod iam ab alij verſatum. At vbi legi & propiùs inſpexi, diuerſum illius inſtitutum & conſilium à meo fuiſſe animaduerti: ideóque animum quem abieceram recepi, neque adeo incœpti pœnitere cœptum eſt. Fuit enim ea Æguinarij mens, vt ſingulorum titulorum materiam ad generales quaſdam theſes & regulas reuocaret: Quod vt faciliùs expediret, eas ſapè confingit leges, eáque edicta, quæ nunquam fuerunt. Aut ſaltem vbi hac de re propoſitum olim fuiſſe edictum conſtat, id quidem, quantum poteſt, reſtituere mititur. Sed ea præterea Edicto tribuit quæ non eſſe ex edicto, ſed ex ipſorum iuriſconſultorum placitis, ex Romanorum mo-*

*ribus, ex antiquis legibus aut nouis Principum conſtitutionibus cuiuis manifeſtum fieri poteſt. Quod tamen ei non eſt ignorantiæ tribuendum, quando conſulto conſilio ſe id feciſſe in iuuenum gratiam quibuſdam in locis ingenuè profiteatur. At conſilium iſtiuſmodi poterit quis improbare optimo iure. Id enim non eſt veram & ſinceram* Roma*ni iuris ſcientiam iuuentuti prodere, ſed ſuppoſititiam & perſonatam. Cur ea tu mihi ad edictum referes, de quibus Prætor ne per ſomnium quidem cogitauerit? An non eadem facilitate quis diſcet, quæ à Prætoribus cauta fuiſſe conſtabit, atque ea quæ à iuriſconſultis difinita, quæ legibus aut conſtitutionib⁹ ſancita, moribúſve inducta? Quid opus fuit hac in re omnia miſcere, tenebriſque inuoluere pluſquàm cimmeriјs? Quid eſt in libris noſtris in quo impenſiùs laborare debeamus, quàm vt omnia diſtinctè perpetuò doceantur: vtque ad leges* XII. *Senatuſconſulta, edicta, Plebiſcita, Prudentum*

*reſponſa, mores ac conſtitutiones ea referantur, quæ ab eorum vnoquoque ortum atque initium ducunt? Nemo ſe vnquam iuriſconſultum profiteatur (ſeriò dico) niſi qui iuris origines, qui eius authores, atque tempora quibus quæque lata fuerint, norit. Qui, inquam, iuris velut hiſtoriam, quandam in numerato non habeat. Hac nota germanos ac puros putos iuriſconſultos ab alijs perpetuò ſecernes. Lege, atque etiam perlege (niſi legiſſe ſufficiat) Bartholos, Iaſones, eos quoque qui hodie in tanta luce caligantes varios nobis tractatus incondito ſermone obtrudunt, eóſque aut ſophiſmatis, aut diuerſis aliorum interpretum opinionibus ſubſarcinatos. Diſpeream, ſi vlla in tantis tamque vaſtis corporibus iuris hiſtoriæ mica, ſi inquam, vlla iſtiuſmodi obſeruatio. Atque inde cur inconditè, imprudenter, confuſe ac verboſe omnia ab ijs pertractata. Series enim latorum Senatuſconſultorum, conſtitutionnm, edictorum, aliarumque legum*

*ſola eſt ac penè vnica ratio ſingula rectè intelligendi ac pertractandi, diſſidia componendi: vetera atque noua, pari facilitate & fœlicitate noſcendi: dum quæ à quoquo introducta aut mutata, quibus de cauſis, quibus temporibus à veteri ætate vſque ad hanc noſtram, quaſi in tabella depingitur, ac de omnibus his rebus velut annales conficiuntur. Inde fit vt Æguinarij inſtitutum minus probem. Vtinam id ei propoſitum fuiſſet, vnumquemque iuris tractatum quaſi natalibus reſtituere. Poterat, ſi voluiſſet, ídque cum laude: ea erat hominis eruditio. At quando hoc noluit, neque etiam alius quiſpiam, quod ſciam: quaſi vacuam poſſeſſionem me occupaſſe omnes patiantur, eam ei libenter ceſſurum, qui aut interdicto* vti poſſidetis, *ſi fortè me ignorante ante hunc diem, in ea re aliquid tentauerit: aut rei vindicatione, ſi dignius aliquid etiam in poſterum enixus fuerit, eam à me auocandam cenſeat. Non tamen Aurelianenſi cuidam*

*qui ante aliquot annos ipſamet perpetui e-dicti capita, quæ in libris noſtris integra extant, collegit, cætera intacta relinquens. Qua in re nulla ingenij laus, laboris verò exigua. Imò, quod damnes, multa ex ijs quæ extant, omiſit, tanta fuit hominis incuria. At nobis ea fuit mens quæ deſiderantur, reſtituere: quod à nobis factum duobus modis: Aut integra capita concinnãdo, eáque eliciendo ex iuriſconſultorum commentarijs: Aut truncatas, quæ extant ſententias, atque vnicas ſæpe dictiones ſupplendo. Vt autem facilè quæ à nobis ſunt, internoſci queant, ipſa Prætorum verba quæ extant hodie, aut in libris noſtris, aut apud alios authores, literis maiuſculis excudenda curauimus, de reliquis liberum iudicandi atque etiam animaduertendi arbitrium cuilibet relinquentes, additis eius rei cauſa ad oram ijs locis, vnde petita iſthæc omnia.*

*Vnum eſt quod in me culpabitur: Quod videlicet edictorum iſta capita iuxta ordi-*

*nem perpetui edicti non diſpoſuerim. Sed ſciant maluiſſe me Iuſtinianeum ordinem ſequi, & nouis ſedibus vnumquodq; relinquere, quando nos ijs imperator ipſe ita vti voluit. Duo ſunt tamen quæ adhuc paramus, quæque iam adfecta propediem dabimus. Primùm perpetui edicti ſeries atque ordo, cuius ope Triboniani confuſionem, plumbaturam & ferruminationem dignoſcere queas: ipſáſque ſpecies & corpora ſeparare, atque antiquo ſolo reſtituere. Inuenias enim aliquando capita quædam ex diuerſis edictis aut commentaria iuriſconſultorum ad diuerſa Edicta pertinentia ſub vno eodemque titulo propoſita. Sæpè etiam vnius edicti capita ſub plures lōgéque diſtātes titulos relata: quæ mirè turbant diſcentium animos. Alterum breues notulæ ad ſingula edicta, quibus & noſtræ contignationis ratio reddatur, & quædam quaſi per indicem explicentur, quæ monitore indigent. Vale.*

## *Imperator Iuſtinianus in epiſtola De confirmatione Digeſtorum.*

Et hoc non primũ à nobis dictum eſt,ſed ab antiqua deſcendit proſapia: cùm & ipſe Iulianus legum & Edicti Perpetui ſubtiliſſimus conditor,in ſuis libris hoc retulit: vt ſi quid imperfectum inueniatur, ab Imperiali ſanctione hoc repleatur: & non ipſe ſolus,ſed & Diuus Hadrianus in compoſitione Edicti, & ſenatuſconſulto quod eam ſecutum eſt, hoc apertiſſimè definiunt, vt ſi quid in Edicto poſitum non inueniatur, hoc ad eius regulas eiúſque coniecturas & imitationes poſſit noua inſtruere authoritas.

# TITVLORVM QVÆ IN hoc EDICTO PERPETVO continentur, INDEX.

## EX LIBRO II. DIGESTORVM.


*De iuriſdictione.* Tit. 1.

*Quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit vt ipſe eodem iure vtatur.* Tit. 2.

*Si quis ius dicenti non obtemperauerit.* Tit. 3.

*De in ius vocando.* Tit. 4.

*Si quis in ius vocatus non ierit, ſiue quis eum vocauerit quem ex edicto non debuerit.* Tit. 5.

*In ius vocati vt eant, aut ſatis vel cautum dent.* Tit. 6.

*Ne quis eum qui in ius vocabitur vi eximat.* Tit. 7.

*Qui ſatiſdare cogantur.* Tit. 8.

*Si ex noxali cauſa agatur, &c.* Tit. 9.

*De eo per quem factum erit, quominus quis in iudicio ſiſtat.* Tit. 10.

*Si quis cautionibus in iudicio ſiſtendi cauſa factis non obtemperauerit.* Tit. 11.

*De edendo.* Tit. 13.

*De pactis.* Tit. 14.


## EX LIBRO III.


*De poſtulando.* Tit. 1.

*De iis qui notantur infamia.* Tit. 2.

*De procuratoribus.* Tit. 3.
*Quod cuiuſque vniuerſitatis nomine vel contra eam agatur.* Tit. 4.
*De negotiis geſtis* Tit. 5.
*De calumniatoribus.* Tit. 6.

## EX LIBRO IIII.

*De eo quod metus cauſa geſtum erit.* Tit. 1.
*De dolo malo.* Tit. 3.
*De minoribus 25. annis* Tit. 4.
*De capitis diminutione.* Tit. 5.
*Ex quibus cauſis maiores 25. annis in integrum reſtituantur.* Tit. 6.
*De alienatione iudicij mutandi cauſa facta.* Tit. 7.
*De Receptis qui arbitrium receperunt, vt ſententiam dicant.* Tit. 8.
*Nautæ, caupones, ſtabularij, vt recepta reſtituant.* Tit. 9.

## EX LIBRO V.

*De iudiciis, & vbi quiſque agere vel conueniri debeat.* Tit. 1.
*De inofficioſo teſtamento.* Tit. 2.
*De hereditatis petitione.* Tit. 3.
*Si pars hereditatis petatur.* Tit. 4.
*De poſſeſſaria hereditatis petitione.* Tit. 5.
*De fideicommiſſaria hereditatis petitione.* Tit. 6.

EX

## EX LIBRO VII.

*De vſu fructu, & quemadmodum quis vtatur fruatur.* Tit. 1.
*Si vſus fructus petatur, vel ad alium pertinere negetur.* Tit. 6.
*Vſufructuarius quemadmodum caueat.* Tit. 9.

## EX LIBRO VIII.

*Si ſeruitus vendicetur, vel ad alium pertinere negetur.* Tit. 5.

## EX LIBRO IX.

*Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.* Tit. 1.
*De his qui effuderint, vel deiecerint.* Tit. 3.
*De noxalibus actionibus.* Tit. 4.

## EX LIBRO X.

*Finium regundorum.* Tit. 1.
*Familiæ erciſcundæ.* Tit. 2.
*Communi diuidundo.* Tit. 3.
*Ad exhibendum.* Tit. 4.


**

## EX LIBRO XI.

*De interrogationibus in iure faciendis, & interrogatoriis actionibus.* Tit. 1.
*De ſeruo corrupto.* Tit. 3.
*De aleatoribus.* Tit. 5.
*Si menſor falſum modium dixerit.* Tit. 6.
*De religioſis & ſumptibus funerum, & vt funus ducere liceat.* Tit. 7.
*De mortuo inferendo, & ſepulchro ædificando.* Tit. 8.

## EX LIBRO XII.

*De rebus creditis ſi certum petatur, & de conditione.* Tit. 1.
*De iureiurando ſiue voluntario, ſiue neceſſario, ſiue iudiciali.* Tit. 2.
*De conditione ob turpem vel iniuſtam cauſam.* Tit. 5.
*De conditione indebiti.* Tit. 6.
*De condictione ſine cauſa.* Tit. 7.

## EX LIBRO XIII.

*De condictione furtiua.* Tit. 1.
*Ee condictione ex lege.* Tit. 2.
*De condictione triticaria.* Tit. 3.
*De eo quod certo loco dari oportet.* Tit. 4.
*De pœna conſtituta.* Tit. 5.
*Commodati vel contrà.* Tit. 6.
*De pigneratitia actione, vel contrà.* Tit. 7.

## EX LIBRO XIIII.

*De exercitoria actione.* Tit. 1.
*De institoria actione.* Tit. 3.
*De tributoria actione.* Tit. 4.
*Quod cum eo qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicetur.* Tit. 5.

## EX LIBRO XV.

*De peculio.* Tit. 1.
*Quando de peculio actio eſt annalis.* Tit. 2.
*De in rem verſo.* Tit. 3.
*Quod iuſſu.* Tit. 4.

## EX LIBRO XVI.

*Depoſiti vel contrà.* Tit. 3.

## EX LIBRO XVII.

*Mandati.* Tit. 1.
*Pro ſocio.* Tit. 2.

## EX LIBRO XVIII.

*De contrahenda emptione.* Tit. 1.
*De hereditate vel actione vendita.* Tit. 4.

## EX LIBRO XIX.


*Locati & conducti.* Tit. 2.
*De æſtimatoria.* Tit. 3.
*De rerum permutatione.* Tit. 4.
*De præſcriptis verbis.* Tit. 5.


## EX LIBRO XXI.


*De ædilitio edicto.* Tit. 1.


## EX LIBRO XXV.


*De actione rerum amotarum.* Tit. 2.
*Di inſpiciendo ventre cuſtodiendóque partu.* Tit. 4.
*Si ventris nomine muliere in poſſeßionem miſſa, &c.* Tit. 5.
*Si mulier ventris nomine in poſſeßione calumniæ cauſa eſſe dicetur.* Tit. 6.


## EX LIBRO XXVI.


*De teſtamentaria tutela.* Tit. 2.
*De tutoribus & curatoribus datis ab his qui ius dandi habent.* Tit. 5.
*De adminiſtratione & periculo tutorum.* Tit. 7.


## EX LIBRO XXVII.


*Vbi pupillus educari vel morari debeat.* Tit. 2.

*De tutelis & rationibus diſtrahendis.* Tit. 3.
*De contraria tutela actione.* Tit. 4.
*De eo qui pro tutore, próve curature negotia geſſit.* Tit. 5.
*Quod falsò tutore authore geſtum eſſe aicetur.* Tit. 6.

## EX LIBRO XXVIII.

*De conditionibus inſtitutionum.* Tit. 7.
*De iure deliberandi.* Tit. 8.

## EX LIBRO XXIX.

*De adquirenda vel omittenda hereditate.* Tit. 2.
*Teſtamenta quemadmodum aperiantur.* Tit. 3.
*Si quis omiſſa cauſa teſtamenti, &c.* Tit. 4.
*De Senatuſconſulto Syllaniano.* Tit. 5.

## EX LIBRO XXXV.

*Si cui plus quàm per legem Falcidiam liceat, &c.* Tit. 3.

## EX LIBRO XXXVI.

*Vt legatorum ſeu fidei commiſſorum ſeruandorum cauſa caueatur.* Tit. 3.
*Vt in poſſeſsionem legatorum, &c.* Tit. 4.

## EX LIBRO XXXVII.

*De bonorum poſſeſsionibus.* Tit. 1.

*Si tabulæ teſtamenti extabunt.* Tit. 2.
*De bonorum poſſeßione, furioſo, &c.* Tit. 3.
*De bonorum poſſeßione contra tabulas.* Tit. 4.
*De legatis præſtandis contra tabulas.* Tit. 5.
*De collatione.* Tit. 6.
*De datis collatione.* Tit. 7.
*De coniungendis cum emancipato liberis.* Tit. 8.
*De ventre in poſſeßionem mittendo.* Tit. 9.
*De Carboniano edicto.* Tit. 10.
*De bonorum poſſeßione ſecundùm tabulas.* Tit. 11.
*Si à parente quis manumiſſus ſit.* Tit. 12.
*De bonorum poſſeßione ex teſtamento militis.* Tit. 13.


## EX LIBRO XXXVIII.


*De operis libertorum.* Tit. 1.
*De bonis libertorum.* Tit. 2.
*De libertis vniuerſitatis.* Tit. 3.
*Si quid in fraudem patroni factum ſit.* Tit. 5.
*Si tabulæ teſtamenti nullæ extabunt, vnde liberi.* Tit. 6.
*Vnde legitimi.* Tit. 7.
*Vnde X. perſonæ* ibid.
*Vnde cognati.* Tit. 8.
*Tum quem ex familia.*
*Vnde liberi patroni.*
*De ſucceſſorio edicto.* Tit. 9.
*Vnde vir & vxor.* Tit. 11.
*Vnde cognati manumiſſoris.* ibid.
*De veteranorum & militum ſucceßione.* Tit. 12.
*Vt ex legibus Senatúſve conſultis.* Tit. 14.

## EX LIBRO XXXIX.

*De operis noui nuntiatione.* Tit. 1.
*De damno infecto.* Tit. 2.
*De aqua, & aquæ pluuiæ arcendæ.* Tit. 3.
*De Publicanis & vectigalibus, & commiſsis.* Tit 4.

## EX LIBRO XL.

*De liberali cauſa.* Tit. 12.

## EX LIBRO XLII.

*De re iudicata.* Tit. 1.
*De confeſsis.* Tit. 2.
*Quibus ex cauſis in poſſeſsionem eatur.* Tit. 4.
*De rebus authoritate iudicis poßidendis, ſeu vendundis.* Tit. 5.
*Quæ in fraudem creditorum geſta ſunt, vt in integrum reſtituantur.* Tit. 8.

## EX LIBRO XLIII.

*Quorum bonorum.* Tit. 2.
*Quod legatorum.* Tit. 3.
*Ne vis fiat ei qui in poſſeſsionem miſſus eſt.* Tit. 4.
*De tabulis exhibendis.* Tit. 5.
*Ne quid in loco ſacro fiat.* Tit. 6.
*Ne quid in loco publico vel itinere fiat.* Tit. 8.

*De loco publico fruendo.* Tit. 9.
*De via publica & itinere publico reficiendo.* Tit. 11.
*De fluminibus, ne quid in flumine publico, ripáve eius fiat, quo peiùs nauigetur.* Tit. 12.
*Ne quid in flumine publico ripáve eius fiat quo aliter aqua fluat, quàm priore æſtate fluxerat.* Tit. 13.
*Vt in flumine publico nauigare liceat.* Tit. 14.
*De ripa munienda.* Tit. 15.
*De vi & vi armata.* Tit. 16.
*Vti poſſidetis.* Tit. 17.
*De ſuperficiebus.* Tit. 18.
*De itinere actúque priuato.* Tit. 19.
*De aqua quotidiana & æſtiua.* Tit. 20.
*De Riuis* Tit. 21.
*De fonte.* Tit. 22.
*De cloacis.* Tit. 23.
*Quod vi aut clam.* Tit. 24.
*De remiſſionibus.* Tit. 25.
*De precario.* Tit. 26.
*De arboribus cædendis.* Tit. 27.
*De glande legenda.* Tit. 28.
*De libero homine exhibendo.* Tit. 29.
*De liberis exhibendis, item deducendis.* Tit. 30.
*Vtrubi.* Tit. 31.
*De migrando.* Tit. 32.
*De Saluiano interdicto.* Tit. 33.

## EX LIBRO XLVI.

*De ſolutionibus & liberationibus.* Tit. 3.
*Rem pupilli vel adoleſcentis ſaluam fore.* Tit. 9.
*Iudicatum ſolui.* Tit. 7.

*Ratam*

*Ratam rem haberi.* Tit. 8.

## EX LIBRO XLVII.


| | |
|---|---|
| *De furtis.* | Tit. 2. |
| *Si is qui teſtamento liber eſſe iuſſus erit.* | Tit. 4. |
| *Furti adverſus nautas.* | Tit. 5. |
| *Si familia furtum feciſſe dicetur.* | Tit. 6. |
| *Arborum furtim caſarum.* | Tit. 7. |
| *Vi bonorum raptorum.* | Tit. 8. |
| *De incendio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata.* | Tit. 9. |
| *De iniuriis & famoſis libellis.* | Tit. 10. |
| *De ſepulchro violato.* | Tit. 12. |


## EX LIBRO XLIX.


| | |
|---|---|
| *De iure fiſci.* | Tit. 1. |


## EX LIBRO L.


| | |
|---|---|
| *Ad municipalem & de incolis.* | Tit. 1. |
| *De muneribus & honoribus.* | Tit. 4. |


## Veterum Edictorum tam Vrbanorũ quàm Prouincialium fragmenta, quæ apud alios authores leguntur.


*De iure dicundo.*

*De feriis.*

*Ex quibus cauſis maiores in integrum reſtituantur.*

*De iureiurando.*
*Caput Æditilij edicti.*
*De acquirenda vel omittenda hæreditate.*
*De legitimis hereditatibus.*
*De bonorum poſſeßionibus.*
*De fluminibus.*
*Ex variis aut incertis titulis, quædam.*
*Iuris quædam notæ apud Probum & Magnonem quæ ex Edictis eſſe videntur.*

FINIS TITVLORVM QVI IN EDICTO PERPETVO continentur.

GVLIELMO RANCHINO.
I. C.

SI quis habet laceros auctor Latialis amictus,
Veſtē-ve diſtritâ Turba Pelaſga dolet:
RANCHINE, Aoniæ non vltima cura cateruæ,
Et nota Argolicis mens generoſa jugis,
Doctè cordatis Scriptoribus addita lampas,
Nouiſti doctâ ferre iuuamen acu.
Ipſe adeò vaſtas veterum ſarcire ruinas
Pronus es, & ſcitâ lapſa leuare manu:
Anteà quod multi fecēre; ſed herculè famâ
Poſterior veniens anteriore præis.

GILBERTVS BANCHERELLVS.

EIDEM, extempore.

*Quorſum iuridicas Tribus timeres,*
*Lux,* RANCHINE, *hominum eruditiorū?*
*Iſthuc quod varium explicas volumen*
*Edicti reſerans opes perennis;*
*Viris iuridicis, viris politis,*
*Viris eximijs laborioſum*
*Iudicabitur: Atque honore dignus*
*Dicêre, ô ſator optimi, politi,*
*Victuríque Operis perennitatem!*

GILBERTVS BANCHERELLVS.

# EDICTVM PERPETVVM,

## EX LIBRO II°. DIGESTORVM.

### *De Iuriſdictione. Tit. 1.*

I. IN eum, eámve, qui, quæve id quod Iuríſdictionis perpetuæ cauſa in albo propoſitum erit dolo malo corruperit, quingétorum aureorum iudiciũ dabo. *L.7.D.eod.*

II. Si ſeruus aut filius corrupiſſe dicantur, de eadem re in ſolidũ aduerſus ſingulos actioné dabo. *L.9.D.eod.*

III. Si is qui iuriſdictioni præeſt, extra territorium ius dixerit, aut de pecunia; nomine, opere locato conducto aut alia re quæ iuriſdictionis ſuæ modum excedat, impunè ei non parebitur. *L.1.ſi.idẽ.11. l.vlt. D. eod. l. 4. 5. & 6. D. de verb. ſignif.*

IIII. Si iuriſdictionem ſuam mãdauerit, ea mandata cenſebuntur, quę ei iure magiſtratus competunt; non verò quæ legibus, Senatuſconſultis aut principum conſtitutionibus ſpecialiter delata fuerunt. *L. 6. D. de verb. ſignif. l. 6. D. de Iuriſ. l.1.D. de offic. eius cui mád.*

### *Quod quiſque Iuris in alterum ſtatuerit, vt ipſe eodem Iure vtatur. Tit. 2.*

I. Quod Iuris in aliquem ſtatuerit IS QVI IV- *L.1. & 3. & 4.D.eod.*

RISDICTIONI PRÆEST, quódque noui iuris quis ab eo obtinuerit, eodem iure vtatur quandoque aduerſario poſtulante, PRÆTERQVAM, SI QVIS EORVM CONTRA EVM FECERIT, QVI IPSE EORVM QVID FECISSET.

## Si quis ius dicẽti nõ obtẽperauerit. Tit. 3.

Ex inſcript. & ex l. vnic. D. eod. I. Si quis ius dicenti non obtẽperauerit, quãti ea res erit, intra annũ aduerſus eum iudiciũ dabitur.

## De in ius vocando. Tit. 4.

L. 4. §. 1. D. eod. I. PARENTEM, PATRONVM, PATRONAM, LIBEROS, PARENTESQVE PATRONI ET PATRONÆ, IN IVS SINE MEO PERMISSV NE QVIS VOCET.

L. 11. 12. 24. 25. D. eod. II. Si quis aduerſus ea fecerit, in eum quinquaginta aureorum iudicium intra annum dabo.

## Si quis in ius vocatus non ierit, ſiue quis eum vocauerit quem ex edicto non debuerit. Tit. 5.

L. 1. D. eod. I. Ex quacunque cauſa ad eum qui iuriſdictioni præeſt, in ius vocatus venire debet.

L. 2. D. eod. II. Si quis in ius vocatus non ierit, cauſa cognita, mulcta eum coërcebo.

Ex inſcript. & ex l. ſolutũ. D. de verb. ſignif. III. Si quis eum vocauerit quem ex edicto non debuerit, qui vocatus erit, neque ſequatur, neque ducatur.

## In ius vocati vt eant, aut ſatis vel cautum dent. Tit. 6.

I. In ius vocati aut eant, aut ſatis vel cautum dent. Fideiuſſor iudicio ſiſtendi cauſa pro rei qualitate locuples detur. *Ex inſcript. l.1. D. eod.*

## *Ne quis eum qui in ius vocabitur vi eximat. Tit. 7.*

I. Ne quis eum qui in ius vocabitur vi eximat, néve faciat dolo malo, quo magis eximatur. *Ex inſcript. & l.4. D. eod.*

II. Si quid aduerſus ea factum fuerit, in factum iudicium dabo. *L.5. D. eod.*

## *Qui ſatiſdare cogantur, &c. Tit. 8.*

I. SI QVIS PARENTEM, PATRONVM, PATRONAM, LIBEROS, AVT PARENTES PATRONÆ, LIBEROSVE SVOS, EVMVE QVEM IN POTESTATE HABEBIT, VEL VXOREM, VEL NVRVM IN IVDICIVM VOCABIT, QVALISCVNQVE FIDEIVSSOR ACCIPIATVR, IVDICIO SISTENDI CAVSA. *L. 2 §. 2. D. eod. L.1. & 2. D. In ius vocat. vt eant.*

II. In eum qui ſciens non acceperit, quinquaginta aureorum iudicium dabo. *L.2. §2. D. in ius vocat. vt eant.*

III. In fideiuſſorem qui aliquẽ iudicio ſiſti promiſerit, quanti ea res erit, actionem dabo. *L.2. §. vlt. D. eod.*

IIII. Poſſeſſores immobiliũ rerum ſatiſdare non cogam: ſed vel iuratò promittere iubebo, vel ſuæ promiſſioni committam. *L. penult. D. eod.*

V. Si quis cùm Romæ ſatiſdare non poſſet, in municipium eius rei cauſa euocauerit, cauſâ cognitâ ad Magiſtratus municipales eum remittã, vt apud eos caueat, ſi priùs iurauerit, non calũniæ, aut vexandi aduerſarij cauſa ſe id poſtulare. *L. 8. §. Iubetur. D. eod.*

## *Si ex noxali cauſa agatur, &c. Tit. 9.*

*L.1. In princ. D. eod.* I. SI QVIS EVM DE QVO NOXALIS ACTIO EST, IVDICIO SISTI PROMISERIT, IN EADEM CAVSA IN QVA TVNC EST, EVM EXHIBERI, DONEC IVDICIVM ACCIPIATVR. Iubebo.

## *De eo per quem factum erit, quominus quis in iudicio ſiſtat. Tit. 10.*

*L. 1. §. 2. l. 3. D. eod.* I. Aduerſus eum qui dolo malo fecit, quo minus in iudicium vocatus ſiſtat; Quanti actoris interfuerit, in factum iudicium dabo.

## *Si quis cautionibus in iudicio ſiſtendi cauſa factis non obtemperauerit. Tit. 11.*

*L.1.D. eod. L.2. & 3. D. de verb. ſign.* I. Ei qui cautionibus in vrbe ſe iudicio ſiſti promiſerit, ſi de die non fuerit conuentum, itineri faciundo vicena millia paſſuum in ſingulos dies dinumerari iubebo, præter eum diem quo cautum promittitur, & in quem ſiſtere in iudicium oportet.

*L.2.D. quib. ex cauſis in poſſ. eat. L.10.11.12. D de verb. ſign.* II. IN BONA EIVS QVI IVDICIO SISTENDI CAVSA FIDEIVSSOREM DEDIT, SI NEQVE POTESTATEM SVI FACIAT, NEQVE DEFENDATVR, IRI IVBEBO. Eáque à creditoribus poſſideri permittam.

*L. 2. §. 2. &* III. Si valetudine, vel tẽpeſtate, vel vi fluminis

aut quo alio iuſto impedimento prohibitus, ſine dolo malo ſe ſiſtere non potuerit, eo nomine cauſa cognita exceptionem ei dabo. *ſeqq. L. 4. D. eod.*

## *De Edendo. Tit. 13.*

I. Actionem qua quiſque agere volet, itémque inſtrumenta, quibus in iudicio vti oportebit, aduerſario edere cogam ſine die & conſule. *L. 1. D. eod. L. 8. D. de verb. ſignif.*

II. ARGENTARIÆ MENSÆ EXERCITORES RATIONES QVÆ AD SE PERTINENT EDERE DEBENT ADIECTO DIE ET CONSVLE IIS OMNIBVS QVI ID POSTVLABVNT, SI PRIVS IVRAVERINT, NON CALVMNIÆ CAVSA PETERE. *L. 4. & 9. §. 3*

III. ARGENTARIO EIVS QVI ITERVM EDI POSTVLAVERIT, CAVSA COGNITA EDI IVBEBO. *L. 6. §. 7. & eodem.*

IIII. Si quis dolo malo non ediderit, quanti agentis interſit, non edidiſſe, causâ cognitâ in eũ actionem dabo. *L. 6. §. 4. l. 8. l. 10. §. 2. D. eod.*

## *De pactis. Tit. 14.*

I. PACTA CONVENTA QVÆ NEQVE DOLO MALO, NEQVE ADVERSVS LEGES, PLEBISCITA, SENATVSCONSVLTA, ÆDICTA, DECRETA PRINCIPVM, NEQVE QVO FRAVS EORVM CVIQVAM FIAT, FACTA ERVNT, SERVABO. *L. 7. §. 7. D. eod.*

## EX LIBRO III°.

### *De poſtulando. Tit. 1.*

*L.1.D.eod.* I. Minorem annis decem & ſeptem.qui eos non in totũ compleuit: ſurdum quoque qui prorſus non audit in totum poſtulare veto. SI NON HABEBVNT ADVOCATVM, EGO DABO.

*L.1.D.eod.* II. Mulier, cæcus, corpore ſuo muliebria paſſus, capitali crimine damnatus, is etiam qui operas ſuas vt cum beſtijs depugnaret locauit, pro alijs in iure apud me ne poſtulent.

*L.1.§.7.D.eod.* III. QVI LEGE, PLEBISCITO, SENATVSCONSVLTO, ÆDICTO, DECRETO, PRINCIPVM PLACITO, NISI PRO CERTIS PERSONIS POSTVLARE PROHIBENTVR, HI PRO ALIO QVAM PRO QVO LICEBIT IN IVRE APVD ME NE POSTVLENT.

*L.1.§.8.& vlt.& l.3.D.eod.* IIII. QVI EX OMNIBVS HIS QVI SVPRA SCRIPTI SVNT IN INTEGRVM RESTITVTVS NON ERIT. PRO ALIO NE POSTVLET: PRÆTERQVAM PRO PARENTE, PATRONO, PATRONA, LIBERIS, PARENTIBVSQVE PATRONI ET PATRONÆ, LIBERIS SVIS, FRATRE, SORORE, VXORE, SOCERO, SOCRO, GENERO, NVRV, VITRICO, NOVERCA, PRIVIGNO, PRIVIGNA, PVPILLO, PVPILLA, FVRIOSO, FVRIOSA, FATVO, FATVA, CVI EORVM A PARENTE AVT DE MAIORIS PARTIS TVTORVM SENTENTIA, AVT AB EO, CVIVS

DE EA RE IVRISDICTIO FVIT, EA TVTELA CVRATIOVE DATA ERIT.

## *De ijs qui notantur infamia. Tit. 2.*

I. INFAMIA NOTATVR QVI AB EXERCITV CAVSA IGNOMINIÆ AB IMPERATORE, EOVE CVI POTESTAS DE EA RE STATVENDI FVERIT, DIMISSVS ERIT: QVI ARTIS LVDICRÆ, PRONVNCIANDIVE CAVSA IN SCENA PRODIERIT: QVI IN PVBLICO IVDICIO CALVMNIÆ AVT PRÆVARICATIONIS CAVSA QVID FECISSE IVDICATVM FVERIT: QVI FVRTI, VI BONORVM RAPTORVM, INIVRIARVM DE DOLO MALO, ET FRAVDE SVO NOMINE DAMNATVS ERIT AVT PACTVS FVERIT: QVI PRO SOCIO, TVTELÆ, MANDATI, DEPOSITI, SVO NOMINE NON CONTRARIO IVDICIO DAMNATVS ERIT: QVI EAM QVÆ IN POTESTATE EIVS ESSET MORTVO GENERO (CVM EVM MORTVVM ESSE SCIRET) INTRA ID TEMPVS QVO ELVGERI VIRVM MORIS EST, ANTEQVAM VIRVM ELVGERET, IN MATRIMONIO COLLOCAVERIT, EAMVE SCIENS QVI VXOREM DVXERIT, NON IVSSV EIVS IN CVIVS POTESTATE, EAMVE DE QVA SVPRA COMPREHENSVM EST VXOREM DVCERE PASSVS FVERIT: QVIVE SVO NOMINE NON IVSSV EIVS IN CVIVS POTESTATE ESSET EIVSVE NOMINE QVEM QVAMVE IN L. 1. D. ad. [illegible]

POTESTATE HABERET, BINA SPONSALIA, BINASVE NVPTIAS EODEM TEMPORE CONSTITVTAS HABVERIT.

## *De procuratoribus. Tit. 3.*

L. 8. §. 5. D. eod. I. PROCVRATOREM AD LITEM SVSCIPIENDAM DATVM PRO QVO CONSENTIENTE IVDICATVM DOMINVS SOLVI EXPOSVIT, CAVSA·COGNITA IVDICIVM ACCIPERE COGAM.

L. 16. 17. 24. D. eod. II. Ante litem conteſtatam domino libera poteſtas erit, vel mutandi procuratoris, vel ſibi iudicium accipiendi: Poſt litem conteſtatam id cauſâ cognita permittam.

L. ſeruum. §. 3. D. eod. III. CVIVS NOMINE QVIS ACTIONEM DARI SIBI POSTVLAVERIT, IS EVM BONI VIRI ARBITRATV DEFENDAT: ET EI QVO NOMINE AGIT, ID RATVM HABERE EVM AD QVEM RES EA PERTINET, BONI VIRI ARBITRATV SATISDET.

## *Quod cuiuſque vniuerſitatis nomine vel contra eam agatur. Tit. 4.*

L. 1. §. 1. l. 3. & 6. D. eod. I. Quæ communiter agi fieríque oportebit vniuerſitatis nomine, Actori ſiue Syndico cui lex agere permittit, aut qui ab ordine electus erit, de ijs rebus actionem dabo.

L. 6. §. vlt. D. eod. II. Non tamen iudicati, niſi in rem ſuam procurator datus fuerit.

L. 6. §. vlt. D. eod. III. Eundem actorem ſi agat, defendere cogam, vbi aduerſus vniuerſitatem agetur.

IIII. Si ne-

IIII. Si nemo vniuerſitatem defendat, quòd eius commune erit poſſideri: etſi admoniti, non excitentur, ad ſui defenſionem venire iubebo. *L.1.§.1.D. eod.*

V. Si extraneus vniuerſitatem defendere velit, id ei permittam. *L.1.§.vlt.D. eod.*

## *De negotiis geſtis. Tit. 5.*

I. SI QVIS NEGOTIA ALTERIVS, SIVE QVIS NEGOTIA QVÆ CVIVSCVNQVE CVM IS MORITVR FVERINT GESSERIT, ACTIONEM EO NOMINE DABO. *L.3.D.eod.*

## *De calumniatoribus. Tit. 6.*

I. In eum qui vt calumniæ cauſa negotium faceret vel non faceret, pecuniam accepiſſe depectuſve eſſe dicetur, intra annũ in quadruplũ eius pecuniæ quam accepiſſe depectuſve eſſe dicetur, poſt annum ſimpli in factum actionem dabo. *L.1.in princ. & 3.D.eod.*

---

## EX LIBRO IIII°.

## *De eo quod metus cauſa geſtum erit. Tit. 2.*

I. QVOD METVS CAVSA GESTVM ERIT RATVM NON HABEBO. *L.1.D.eod.*

II. Si per metum aliquid ablatum eſſe dicatur, NEQVE EA RES ARBITRIO IVDICIS RESTITVATVR, intra annum quo primùm de ea re experiũdi poteſtas erit, in quadruplũ, poſt annum verò in ſimplũ causâ cognitâ actioné dabo. *L.14.In prin. & §.11.D.eod*

## *De dolo malo. Tit. 3.*

L.1.D.eod. I. QVÆ DOLO MALO FACTA ESSE DICENTVR, SI DE HIS REBVS ALIA ACTIO NON ERIT, ET IVSTA CAVSA ESSE VIDEBITVR, IVDICIVM DABO.

L. 15. & 16. D.eod. II Qui de dolo aget, certum dicat, quid & cuius dolo factum ſit.

L.18.D.eod. l 3.& 8.C. eod. III. Quæ dolo malo ablata eſſe dicentur, ea niſi arbitrio iudicis reſtituantur, quanti vna quæque res erit, in eum qui abſtuliſſe dicetur, intra annũ, quo primùm de ea re experiundi poteſtas erit, actionem dabo.

L.26. D.eod. IIII. In hæredem eatenus actionẽ dabo, quatenus ad eum perueniſſe dicetur, dolóve malo factum erit quominus perueniret.

## *De minoribus 25. annis. Tit. 4.*

L.1.§.1.l.11. §.3.l.13.&16 D.eod. I. QVOD CVM MINORE QVAM VIGINTI QVINQVÆ ANNIS NATV GESTVM ESSE DICETVR, VTI QVÆQVÆ RES ERIT ANIMADVERTAM: Et ſi iuſta cauſa eſſe videbitur, intra annum, quo primum experiundi poteſtas erit, poſtquàm is maior factus eſſe dicetur, in integrum reſtituam.

## *De capitis diminutione. Tit. 5.*

L. 2. §. 1. D. eod. I. QVI, QVÆVE POSTEA, QVAM QVID CVM HIS ACTVM CONTRACTVMVE SIT CAPITE DIMINVTI VEL DIMINVTÆ ESSE DICENTVR, IN EOS EASVE PERINDE QVASI ID FACTVM NON SIT, IVDICIVM DABO.

II. Iura quoque atque actiones quæ ad eos eáſ-ve pertinebunt, eis ſeruabo. L. 8. & 10. D. eod.

## *Ex quibus cauſis maiores viginti quinq; annis in integrum reſtituantur. Tit. 6.*

I. SI CVIVS QVID DE BONIS DIMINVTVM ERIT, CVM IS METV AVT SIVE DOLO MALO REIPVB. CAVSSA ABESSET, INVE VINCVLIS, SERVITVTE, HOSTIVMQVE POTESTATE ESSET, POSTEAVE: SIVE CVIVS ACTIONIS EORVM CVI DIES EXISSE DICETVR: ITEM SIQVIS QVID VSV SVVM FECISSET, AVT QVOD NON VTENDO AMISSVM EST CONSECVTVS, ACTIONEVE QVA SOLVTVS OB ID QVOD DIES EIVS EXIERIT CVM ABSENS NON DEFENDERETVR, IN VE VINCVLIS ESSET, SECVMVE AGENDI POTESTATEM NON FACERET: AVT CVM EVM INVITVM IN IVS VOCARE NON LICERET: NEQVE DEFFENDERETVR CVM MAGISTRATVS DE EA RE APPELLATVS ESSET: SIVE CVI PER MAGISTRATVM SINE DOLO IPSIVS ACTIO EXEMPTA ESSE DICERETVR, EARVM RERVM ACTIONEM INTRA ANNVM QVO PRIMVM DE EA RE EXPERIVNDI POTESTAS ERIT, ITEM SI QVA ALIA MIHI IVSTA CAVSSA ESSE VIDEBITVR, IN INTEGRVM RESTITVAM, QVOD EIS PER LEGES, PLEBISCITA, SENATVSCONSVLTA, ÆDICTA, DECRETA PRINCIPVM LICEBIT. L. 1. §. 1. D. eod.

## *De alienatione iudicij mutandi cauſa facta. Tit. 7.*

*L. vlt. D. eod. 1. L. Item ſi. §. 1. §. ſi quis. D. eod. 2. L. Item ſi. in pr. & §. ſi quis. eod. 3. L. ex hoc. 8. eod. 4. d. l. ex hoc. l. 3. §. vlt. eod 5. l. vel 6. eod. 6 l. 3. §. ex quib⁹. l. 4. §. hæc actio eod. 7. l. interdum. 19. D. de min.*

I. Ne qua alienatio iudicij mutandi cauſa fiat.

II. Si [1] dolo malò [2] lis in alium tranſlata, [3] quæ ve alienatio iudicij mutãdi cauſa facta erit, [4] neque arbitrio iudicis priſtina iudicij cauſa reſtituatur, [5] intra annum quo primum experiundi poteſtas e-rit, [6] in integrũ reſtituam, vt tantum officio iudicis conſequatur actor, quanti eius interſit alium aduerſarium non habuiſſe.

III. Heredi [7] interdum etiam poſt annum cauſa cognita, in integrum reſtitutionem dabo.

## *De Receptis, qui arbitrium receperunt vt ſententiam dicant. Tit. 8.*

*L. 3. §. 1. l. 15.* I. QVI ARBITRIVM PECVNIA COMPROMISSA RECEPIT, ſententiam cum dicere cogam.

*L. 25. eod.* I. Eúmque, ſi ita conuentum ſit, DIEM COMPROMISSI PROFERRE iubebo.

## *Nautæ, caupones, ſtabularij vt recepta reſtituant. Tit. 9.*

*L. 1. 3. & 15. D. eod.* I. NAVTÆ, CAVPONES, STABVLARII, QVOD CVIVSQVE SALVVM FORE RECEPERINT, NISI RESTITVANT, IN EOS IVDICIVM DABO.

## EX LIBRO V°.

## *De iudicijs, & vbi quiſque agere vel conueniri debeat. Tit. 1.*

I. Si ſe ſubiiciant aliqui iuriſdictioni & conſentiant facta hac de re ſponſione, inter conſentientes iudicium dabo. *L.1.& 2.D. eod.l.7.D.de verb.ſignif.*

II. Legatis in eo quod ante legationem contraxerũt, item his qui teſtimonij cauſa euocati ſunt, vel ſi qui iudicandi cauſa arceſſiti, aut in prouinciam deſtinati, reuocãdi domũ ſuam, iús dabo. *L.2.§.legatis. eod.*

III. Si iudex datus ab ijs qui dandi ius habent iudicium protelauerit, ſententiam ferre cogam. *L.12.eod.*

IIII. Si longius ſpatium interceſſurum erit, quominus iudex datus operam dare poſſit, eum mutari iubebo. *L.18.eod.*

## *De inofficioſo teſtamento. Tit. 2.*

I. Si quis teſtamentum inofficioſum dicere velit eo quòd iniuſtè ſe exheredatum aut præteritum eſſe queratur, neque ei quarta pars debitæ portionis ab inteſtato relicta fuerit, inofficioſi teſtamenti intra quinquennium ei actionem dabo. *L.3.l.5.l.8.§.8.9.&17.l.9 D.eod.*

## *De hereditatis petitione. Tit. 3.*

I. Si hereditas petatur, Aduerſus eum qui ius, vel rem aliquam hereditariã pro herede aut pro poſſeſſore poſſidebit, aut dolo malo fecerit quo minus poſſideat, heredi legitimo aut teſtamenta- *L.9.10.11.13. 16.18.D.eod. l.1.D.ſi pars heredit.pet.*

rio ad quem ea hereditas pertinere dicetur, actionem dabo.

L.5.D.eod. II. Si rei hereditariæ alienatio poſtuletur, & poſſeſſor hereditatis aut pro tota hereditate ſatiſdare aut etiam eius rei nomine cauere paratus ſit, cauſa cognita diminutionem concedam.

## *Si pars hereditatis petatur. Tit. 4.*

L.1.D.eod. I. Si pars hereditatis petatur, Aduerſus eum qui aliquid ex ea hereditate poſſidebit, dolové malo fecerit quo minus poſſideat, legitimo aut teſtamentario heredi poſtulanti actionem dabo.

L.1.§.vlt.D.eod. II. Si pro parte heres, quam partem vindicare debeat, incertus ſit, ſi mihi iuſta cauſa eſſe videbitur, incertæ partis petitionem dabo.

## *De poſſeſſoria hereditatis petitione. Tit. 5.*

L.1.D.eod. I. Quibus ex edicto bonorum poſſeſſio data eſt, hi ſi hereditatem partémve eius petant, non minus atque ijs ipſis heredibus eo nomine actionem dabo.

## *De fidei commiſſaria hereditatis petitione. Tit. 6.*

L.1.D.eod. I. Qui reſtitutam ſuſcepit hereditatem ex Senatuſconſulto ex quo actiones tranſeunt, ſi hereditatem partémve eius petat, ei tanquam heredi ex ea re actionem dabo, nō tamen aduerſus eum qui ei hereditatem reſtituit.

## EX LIBRO IX°. Digeſtorum.

## *De rei vindicatione. Tit. 1.*

I. Si dominus rei ſuæ poſſeſſionem amiſerit, cum eam non alienaſſe dicatur: neque ea arbitrio iudicis ei reſtituatur, aduerſus eum qui eam poſſidere aut tenere dicetur, rei vindicationem dabo. *L.1.D.eod. L. qui reſtituere 68.D.eod. L. Alienationis. 28.D. de ver. ſignif.*

II. Superficiario cauſa cognita idem iudicium dabo. *L.73.74.75. D.eod.*

## *De Publiciana in rem actione. Tit. 2.*

I. SI QVIS ID QVOD TRADITVR EX IVSTA CAVSA A NON DOMINO, ET NONDVM VSVCAPTVM PETET, IVDICIVM DABO. *L.1.D.eod.*

II. QVI BONA FIDE EMIT, cui res empta eo nomine tradita eſt, quam poſtea amiſerit, SI EA RES POSSESSORIS NON SIT, neque arbitrio iudicis emptori reſtituatur, niſi res talis ſit vt eam lex vel conſtitutio alienari prohibeat, eo nomine actionem dabo. *L.7. §. 6.& 8.l.11. l. vlt. D.eod.§.praeterea.inſt.tit. De actionib.*

## *Si ager vectigalis vel emphyteuticarius petatur. Tit. 3.*

I. Si ager vectigalis petatur, cauſa cognita iudicium dabo. *Ex inſcriptione.*

## EX LIBRO VII°.

### *De vſufructu & quemadmodum quis vtatur fruatur. Tit. 1.*

L.13. §. 1. & 2. D. eod. I. Si de vſufructu agatur: iudicis, qui de ea re datus erit arbitrio, æſtimabitur, quo modo antea vſusfruitus ſit is cui vſusfructus relictus eſt, & quemadmodum in poſterum vtifrui debeat.

### *Si vſusfructus petatur, vel ad alium pertinere negetur. Tit. 6.*

L. 5. D. eod. l. 2. D. ſi ſeruit. vindicet. I. Si vſusfructus petatur vel ad alium pertinere negetur, vſufructuario confeſſoriam, neganti negatoriam in eum actionem dabo.

### *Vſufructuarius quemadmodum caueat. Tit. 9.*

L. 1. D. eod. I. Si cuius rei vſusfructus legatus eſſe dicatur, vſufructuarium ſe vſurum boni viri arbitratu: & cùm vſusfructus ad eum pertinere deſierit, ſe ei reſtituturum ad quem ea res pertinebit, ſatiſdare iubebo.

## EX LIBRO VIII°.

### *Si ſeruitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur. Tit. 5.*

I. Si

I. Si ſeruitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur, vindicanti confeſſoriam, neganti negatoriam in rem actionem dabo. *L.2. D. eod.*

---

## EX LIBRO IX°.

### *Si quadrupes pauperiē feciſſe dicatur.T.3*

I. Si quadrupes PAVPERIEM FECISSE dicatur: ex lege 12. Tabularum, aut noxam ſarcire, aut noxiam dare iubebo. *Ex inſcriptione ex l.1. eod. Ex collat. legis Moſaic. cum Rom. Tit. de furib. 7.*

### *De his qui effuderīt vel deiecerint.Tit.3.*

I. VNDE IN EVM LOCVM QVO VVLGO ITER FIET, VEL IN QVO CONSISTETVR DEIECTVM VEL EFFVSVM QVID ERIT, QVANTVM EX EA RE DAMNVM DATVM FACTVMVE ERIT, IN EVM QVI IBI HABITAVERIT, IN DVPLVM IVDICIVM DABO. SI EO ICTV HOMO LIBER PERISSE DICETVR, QVINQVAGINTA AVREORVM IVDICIVM DABO. SI VIVET, NOCITVMQVE EI ESSE DICETVR, QVANTVM OB EAM REM ÆQVVM IVDICI VIDEBITVR, EVM CVM QVO AGETVR CONDEMNARI, TANTI IVDICIVM DABO. SI SERVVS INSCIENTE DOMINO FECISSE DICETVR IN IVDICIO ADIICIAM, AVT NOXAM DEDERE. *L.1.D. eod.*

II. NE QVIS IN SVGGRVNDA, PROTECTOVE SVPRA EVM LOCVM QVO VVLGO ITER FIET, INVE QVO CONSISTETVR ID POSITVM HABEAT, CVIVS CASVS *L. 5. §. 6. D. eod.*

NOCERE CVI POSSIT. QVI ADVERSVS EA FECERIT IN EVM SOLIDORVM DECEM IN FACTVM IVDICIVM DABO. SI SERVVS INSCIENTE DOMINO FECISSE DICETVR, AVT NOXÆ DEDI IVBEBO.

## *De noxalibus actionibus. Tit. 4.*

*L.1.& 2. D. eod. §. praeterea, inſtit tit. de actionib.*

I. Si ſeruus deliquiſſe dicatur. Quantum ob eam rem æquum iudici videbitur, eum in cuius poteſtate eſt condemnari, tanti iudicium dabo.

II. Si ſeruus inſciente domino feciſſe dicetur, noxæ dedi iubebo.

*L.21. §. praetor ait. D eod.*

III. SI IS IN CVIVS POTESTATE ESSE DICETVR, NEGAVIT SE IN POTESTATE SERVVM HABERE, VTRVM ACTOR VOLET, VEL DEIERARE IVBEBO. IN POTESTATE SVA NON ESSE, NEQVE SE DOLO MALO FECISSE QVO MINVS ESSET: VEL IVDICIVM DABO SINE NOXÆ DEDITIONE.

---

## EX LIBRO X°.

## *Finium regundorum. Tit. 1.*

*L.2.& 4. D. eod. l. quaedã. inſtit. tit. de action.*

I. Finium regundorum ſi controuerſia fuerit inter vicinos, iudicium dabo. Ita vt iudex qui de ea re datus erit ex æquo & bono controuerſiam dirimat, eius habita ratione quod cuiuſque interſit: eique ius ſit rem vni adiudicare, eum inuicem certa pecunia alteri condemnando.

## *Familiæ erciſcundæ. Tit. 2.*

*L.1.& 2. &*

I. Familiæ erciſcundæ iudicium inter cohere-

des dabo. Ita vt iudex qui de ea re datus erit, ſi commodè diuiſio fieri nequeat, vni rem adiudicare, eúmque alteri certa pecunia condemnare. Atque præſtationum ratione habita, quanto æquius melius ei videbitur cætera dirimere poſſit. *22. §. vlt. D. eod. §. quedã inſtit. tit. de actionib.*

## *Communi diuidundo. Tit. 3.*

I. Communi diuidundo iudicium inter eos quibus res communes erunt, dabo. *L. 2. 3. & 4. D. eod.*

II. Iudicem qui ea de re datus erit, ſi commodè diuiſio fieri nequeat, vni rem adiudicare certa pecunia alteri eum condemnãdo, atque præſtationum ratione habita, quanto æquius melius ei videbitur, cætera diiudicare iubebo. *§. quedam. inſtit. tit. de actionib.*

## *Ad exhibendum. Tit. 4.*

I. Si quis rem quam iudicio petiturus erit, ſibi exhiberi poſtulet ab eo qui eam poſſidet, aut dolo malo fecerit quominus poſſideret, eam arbitrio iudicis exhiberi iubebo. *L. 3. l. 8. D. eod. § præterea. inſtit. tit. de actionib.*

---

## EX LIBRO XI°.

## *De interrogationibus in iure faciendis, & interrogatorijs actionibus. Tit. 1.*

I. QVI IN IVRE INTERROGATVS RESPONDERIT, qua ex parte ſit heres aut bonorum poſſeſſor: ex ſua reſponſione actionem dabo. *L. 2. 3. & 4. D. eod.*

II. Aduerſus eum qui OMNINO NON RESPONDISSE dicetur, in ſolidum actionem dabo. *L. 11. §. 3. D. eod.*

## De ſeruo corrupto. Tit. 3.

L.1.D.eod. I. QVI SERVVM SERVAM, ALIENVM ALIENAM RECEPISSE, PERSVASISSEVE QVID EI DICETVR DOLO MALO, QVO EVM, EAM DETERIOREM FACERET: IN EVM QVANTI EA RES ERIT IN DVPLVM IVDICIVM DABO.

## De aleatoribus. Tit. 5.

L.1.D.eod. I. SI QVIS EVM APVD QVEM ALEA LVSVM ESSE DICETVR VERBERAVERIT, DAMNVMVE EI DEDERIT, SIVE QVID EO TEMPORE DOMO EIVS SVBTRACTVM EST, IVDICIVM NON DABO.

II. IN EVM QVI ALEÆ LVDENDÆ CAVSA VIM INTVLERIT, VTI QVÆQVE RES ERIT, ANIMADVERTAM.

## Si menſor falſum modium dixerit. Tit. 6.

L.1. in princ. & §.1. & 2. l.5. in pr. & §.2.D.eod. I. Si menſor falſum modium dixiſſe dolo malo: aut cuius alterius rei menſuram falſam renuntiaſſe dicetur: eo nomine aduerſus eum in factū actionem dabo.

## De religioſis & ſumptibus funerum, & vt funus ducere liceat. Tit. 7.

L.2.§.2.D.eod. I. SIVE HOMO MORTVVS, OSSAVE HOMINIS MORTVI IN LOCVM PVRVM AL-

TERIVS, AVT IN ID SEPVLCHRVM IN QVO IVS NON FVERIT, ILLATA ESSE DICENTVR, QVI HOC FECIT IN FACTVM ACTIONE TENEBITVR, ET POENÆ PECVNIARIÆ SVBIICIETVR.

II. Si locus religioſus pro puro veniſſe dicetur aduerſus venditorem, ei ad quem ea res pertinebit, in factum actionem dabo. *L. 8. §. 1. D. eod.*

III. Si in locum publicis vſibus deſtinatum dolo malo quis mortuum intulerit, in eum iudicium dabo vt extra ordinem plectatur. *L. 8. §. 1. D. eod.*

IIII. Ei qui mortuum inferre prohibitus eſt, oſsáve mortui in eum locum quo ei ius eſſet inferendi, quíque ob eam cauſam aliò inferre coactus eſt: Aduerſus eum qui prohibuit, quanti interfuit prohibitum non eſſe, in factum actioné dabo. *L. 8. §. vlt. & l. ſeqq. D. eod.*

V. QVOD FVNERIS CAVSA SVMPTVS FACTVS ERIT, HVIVS RECIPERANDI NOMINE, IN EVM AD QVEM EA RES PERTINET, IVDICIVM DABO. *L. 12. §. 1. D. eod.*

## *De mortuo inferendo, & ſepulchro ædificando. Tit. 8.*

I. QVO, QVAVE ILLI MORTVVM INFERRE INVITO TE EI IVS EST, QVOMINVS ILLI, EO, EAVE MORTVVM INFERRE, ET IBI SEPELIRE LICEAT, VIM FIERI VETO.

II. QVO ILLI IVS EST INVITO TE MORTVVM INFERRE, QVOMINVS ILLI IN EO



[library stamp]

LOCO SEPVLCHRVM SINE DOLO MALO ÆDIFICARE LICEAT, VIM FIERI VETO.

## EX LIBRO XII°.

### *De rebus creditis ſi certum petatur, & de condictione. Tit. 1.*

*Ex inſcript. l. 6. & 8. D. eod. & ex l. 1. D. de condict. tritic.*

I. Si certum petatur ex mutui datione, condictionem dabo.

### *De Iureiurando ſiue voluntario, ſiue neceſſario, ſiue iudiciali. Tit. 2.*

*L. 3. In prin. l. 7. D. eod.*

I. SI IS CVM QVO AGETVR, CONDITIONE DELATA IVRAVERIT, EIVS REI DE QVA IVSIVRANDVM DELATVM FVERIT, NEQVE IN IPSVM, NEQVE IN EVM, AD QVEM EA RES PERTINET, ACTIONEM DABO.

*L. 9. D. eod.*

II. Quod ſi actor deferente, aut etiam referente aduerſario iurauerit, vel cùm iurare paratus eſſet, ei iuſiurandum remiſſum fuerit, ex ea re in factũ ei actionem dabo.

*L. iuſiurãdũ. 34. §. ait Præ. & § datur. D. eod.*

III. EVM A QVO IVSIVRANDVM PETETVR, SOLVERE AVT IVRARE COGAM. Niſi ei qui aget iuſiurãdum referre maluerit, quo caſu ſi iuriſiurandi cõditione non vtatur, ei actionem denegabo.

## *De condictione cauſa data, cauſa non ſecuta. Tit. 4*

I. Si cui aliquid ex aliqua cauſa datum fuiſſe dicatur: cauſa non ſecuta, ad id repetendum quod datum erit, aduerſus eum qui acceperit condictionem dabo.

## *De condictione ob turpem vel iniuſtam cauſam. Tit. 5.*

I. Si quid ob turpem vel iniuſtam rem datum fuiſſe dicetur, ad id repetendum quod datum erit, aduerſus eum cui datum fuerit condictionem dabo.

## *De condictione indebiti. Tit. 6.*

I. Si ab ignorante indebitum ſolutum eſſe dicetur, ad id quod ſolutum erit repetendum, actionem dabo. L. 1. l. ſi non ſortem. 26. §. indebitum. D. eod.

## *De condictione ſine cauſa. Tit. 7.*

I. Si quid ſine cauſa promiſſum aut ſolutum fuiſſe dicatur, eius rei nomine condictionem dabo.

---

## EX LIBRO XIII°.

## *De condictione furtiua. Tit. I.*

I. Si qua res furto ablata eſſe dicatur: eius per- L. 1. l. 7. D. eodem.

ſequendæ cauſa domino aduerſus furem, heredémve eius furtiuam condictionem dabo.

## *De condictione ex lege. Tit. 2.*

*L. vnic. D. eod.* I. Si obligatio lege noua introducta ſit, nec cautum eadem lege, quo genere actionis experiamur, ex lege condictionem dabo.

## *De condictione Triticaria. Tit. 3.*

*L.1.D.eod.* I. Si quis triticum, vinum, oleum, aliáſve res prçter pecuniam numeratam petat, earum rerum nomine condictionem ei dabo.

## *De eo quod certo loco dari oportet. Tit. 4.*

*L. 1. D. eod. §.plus.autem inſtit. tit. de actionib.* I. Si pecunia quæ certo loco dari debet, alio loco petatur, vtilem actionem dabo, vt per eam arbitrio iudicis ſatisfiat.

## *De pecunia conſtituta. Tit. 5.*

*L.1.16.§.1.& 18.§.1.D.eod.* I. QVI PECVNIAM DEBITAM CONSTITVERIT: ADVENIENTE DIE SOLVERE DEBET.

II. SI APPAREAT EVM QVI CONSTITVIT, NEQVE SOLVERE, NEQVE FECISSE, NEQVE PER ACTOREM STETISSE, QVOMINVS FIERET QVOD CONSTITVTVM EST: EAMQVE PECVNIAM CVM CONSTITVEBATVR DEBITAM FVISSE, aduerſus eum de conſtituto actionem dabo.

Com-

## *Commodati vel contrà. Tit. 6.*

I. QVOD QVISQVE COMMODASSE DICETVR, DE EO IVDICIVM DABO. *L.1.D.eod.*

## *De pigneratitia actione, vel contrà. Tit. 7.*

I. Si ob creditam pecuniam pignus datum ſit, ídque ſoluta demùm pecunia aut cum eo nomine ſatisfactum ſit, repetatur, aduerſus eum à quo petetur, actionem dabo. *L.4. & 11.§.4.D.eod.*

---

## EX LIBRO XIIII°.

## *De exercitoria actione. Tit. 1.*

I. Quod cum magiſtro nauis geſtum eſſe dicetur: eius rei cuius cauſa ibi præpoſitus fuerit aduerſus eum aut exercitorem actionem dabo. *L.1.in prin.§.1.ſ.7 & 8. D.eodem.*

II. Si is qui nauem exercuerit, in aliena poteſtate erit, eiúſque voluntate nauem exercuerit: quod cum magiſtro eius geſtum erit, in eum in cuius poteſtate erit, qui nauem exercuerit, in ſolidum iudicium dabo. *L.1.§ ſi is qui nauē. D.eod.*

## *De Inſtitoria actione. Tit. 3.*

I. Quod cum inſtitore geſtum eſſe dicetur, eius rei cui præpoſitus fuerit, aduerſus eum qui præpoſuit actionem dabo. *L.1.& 5.§.4. D.eodem.*

## *De Tributoria actione. Tit. 4.*

L.1.& 5.§.1. D. eodem. I. Si in peculiari merce quis negotiatus fuerit, ſciente eo in cuius eſt poteſtate, pro ea merce is qui eum habet in poteſtate cui aliquid debetur, cum alijs creditoribus in tributum vocabitur.

L.7.§.1.D. eodem. II. Si cuius dolo malo factum ſit, quò minus ita tribueretur, quanto minus tributum erit quàm debuerit, eum præſtare cogam.

## *Quod cum eo qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicetur. Tit. 5.*

L.1.D. eod. I. IN EVM QVI EMANCIPATVS AVT EXHÆREDATVS ERIT, QVIVE ABSTINVERIT SE AB HÆREDITATE EIVS, CVIVS IN POTESTATE, CVM IS MORITVR, FVERIT, EIVS REI NOMINE, QVÆ CONTRACTA CVM EO FVERIT, CVM IS IN POTESTATE ESSET, SIVE SVA VOLVNTATE, SIVE IVSSV EIVS, IN CVIVS POTESTATE ERIT, CONTRAXERIT, SIVE IN IPSIVS, PECVLIVM, SIVE IN PATRIMONIVM EIVS, IN CVIVS POTESTATE ERIT, EA RES REDACTA FVERIT, ACTIONEM, CAVSA COGNITA, DABO IN ID QVOD FACERE POTEST.

---

## EX LIBRO XV°.

### *De peculio. Tit. 1.*

L.1.§.1.D. eodem. I QVOD CVM EO, QVI IN ALTERIVS POTESTATE ESSET, NEGOTIVM GESTVM

ERIT, de eo eatenus aduerſus eum in cuius poteſtate eſſe dicetur, iudicium dabo, quatenus erit in peculio.

## *Quando de peculio actio eſt annalis. Tit. 2.*

I. POST MORTEM EIVS, QVI IN ALTERIVS POTESTATE FVERIT, POSTEAVE QVAM IS EMANCIPATVS, MANVMISSVS, ALIENATVSVE FVERIT, DVNTAXAT DE PECVLIO, ET SIQVID DOLO MALO EIVS IN CVIVS POTESTATE EST, FACTVM ERIT, QVOMINVS ACTIO PECVLII ESSET, IN ANNO, QVO PRIMVM DE EA RE EXPERIVNDI POTESTAS ERIT, IVDICIVM DABO. *L.1.D.eod.*

## *De in rem verſo. Tit. 3.*

I. Si quid in rem alicuius verſum eſſe dicetur, ex eo quod is accepit qui in eius eſt poteſtate, quatenus verſum erit, eatenus actionem dabo. *L.1.D.eod.*

## *Quod iuſſu. Tit. 4.*

I. Quod iuſſu domini vel patris geſtum eſſe dicetur, de ea re aduerſus eos in ſolidũ iudicium dabo. *L.1.D.eod.*

## EX LIBRO XVI°.

### *Depoſiti vel contra. Tit. 3.*

*L.i.§.1. D. eodem.* I. QVOD NEQVE TVMVLTVS, NEQVE INCENDII, NEQVE RVINÆ, NEQVE NAVFRAGII CAVSA DEPOSITVM SIT, IN SIMPLVM: EARVM AVTEM RERVM, QVÆ SVPRA SVNT COMPREHENSÆ, IN IPSVM IN DVPLVM: IN HÆREDEM EIVS, QVOD DOLO MALO EIVS FACTVM ESSE DICETVR, QVI SIT MORTVVS, IN SIMPLVM: QVOD IPSIVS, IN DVPLVM IVDICIVM DABO.

## EX LIBRO XVII°.

### *Mandati. Tit. 1.*

I. Qui mandatum alterius ſuſcepiſſe dicetur, in eum iudicium dabo.

### *Pro ſocio. Tit. 2*

I. Si ſocietas inter aliquos coita eſſe dicetur, de ea re iudicium dabo.

## EX LIBRO XVIII°.

### *De contrahenda emptione. Tit. 1.*

I. Si emptio & venditio contracta eſſe dicetur, de ea re iudicium dabo.

## *De hereditate vel actione vendita.*
## *Tit. 4.*

I. Si hereditas aut actio veniiſſe dicetur, quid- *L.1.D.eod.l.*
quid pecuniæ ex ea hereditate aut actione, ad *pecunia.178.*
venditorem, eiúſve heredem perueniſſe dicetur, *D.de verb.*
aut dolo malo factum erit, quominus perueniret: *ſignif.*
item quæcumque actio, petitio, perſecutio inde
dari debuit, ea omnia emptori præſtari ac reſtitui
iubebo.

---

## EX LIBRO XIX°.

### *Locati & conducti. Tit. 2.*

I. Si locatio & conductio contracta eſſe dice-
tur, ex eo contractu actionem dabo.

### *De æſtimatoria. Tit. 3.*

I. Si res æſtimata vendenda data fuerit, de æſti- *L.1.D.eod.*
mato actionem dabo.

### *De rerum permutatione. Tit. 4.*

I. Si permutatio facta eſſe dicetur, in factum *L.1.D.eod.*
actionem dabo.

### *De Præſcriptis verbis. Tit. 5.*

I. Si propria actio prodita non erit, quæ nego- *L.20.& 22.*
tio quo de agitur accommodari poſſit, vti quæ- *D. eodem.*
que res geſta eſſe dicetur, præſcriptis verbis in
factum actionem dabo.

## EX LIBRO XXI°.

### *De ædilitio edicto. Tit. 1.*

L.1.D.eod. I. QVI MANCIPIA VENDVNT, CERTIORES FACIANT EMPTORES, QVID MORBI VITII'VE CVIQVE SIT: QVIS FVGITIVVS, ERRO'VE SIT, NOXA'VE SOLVTVS NON SIT: EADE'MQVE OMNIA, CVM EA MANCIPIA VÆNIBVNT, PALAM RECTE PRONVNTIANTO.

II. QVOD SI MANCIPIVM ADVERSVS EA VENISSET, SIVE ADVERSVS QVAM DICTVM PROMISSV'MVE FVERIT, CVM VENIRET, FVISSET, QVOD EIVS PRÆSTARI OPORTERE DICETVR, EMPTORI, OMNIBV'SQVE AD QVOS EA RES PERTINET, IVDICIVM DABIMVS, ET MANCIPIVM REDHIBEATVR.

III. SI QVID AVTEM POST VENDITIONEM TRADITIONE'MQVE DETERIVS, O- §.1. PERA EMPTORIS, FAMILIÆ, PROCVRATORI'SVE EIVS FACTVM ERIT: SIVE QVID EX EO POST VENDITIONEM NATVM, AVT ACQVISITVM FVERIT, ET SI QVID ALIVD IN VENDITIONE EI ACCESSERIT, SIVE QVID EX EA RE FRVCTVS PERVENERIT AD EMPTOREM, VT EA OMNIA RESTITVAT.

IIII. ITEM SI QVAS ACCESSIONES IPSE PRÆSTITERIT, VT RECIPIAT.

V. ITEM SI QVOD MANCIPIVM FRAVDEM CAPITALEM ADMISERIT, MORTI'SVE CONSCISCENDÆ SIBI CAVSA QVID FECERIT, VEL IN ARENAM DEPVGNANDI CAVSA AD BESTIAS FVERIT INTROMISSVS, EA OMNIA IN VENDITIONE PRONVNTIANTO, EX HIS ENIM CAVSIS IVDICIVM DABIMVS.

VI. HOC AMPLIVS, SI QVIS ADVERSVS EA SCIENS DOLO MALO VENDIDISSE DICETVR, IVDICIVM DABIMVS.

VII. Nationem præterea cuiuſque mancipij in venditione pronuntianto. *L.quod ſi nolit. 31. §. qui mancipia. D. eodem.*

VIII. Si ita factũ non erit, quod eius præſtari oportere dicetur, emptori omnibúſque ad quos ea res pertinebit, iudicium dabimus vt & mancipium redhibeatur.

IX. Ne veterator pro nouitio væneat prohibemus: ſi quid ignorante emptore ita vænierit, iudicium dabimus. *L.precipiunt. 37.D. eodem.*

X. Venditorem mancipij nomine, duplum promitti iubebimus. *L.emptori. 57 D. de euictiõ.*

XI. Mancipijs autem redhibendis in diebus ſexaginta, quibus primùm agendi poteſtas erit, vel quantò minoris eſſent cùm vænierint in anno, iudicium dabimus. *L.ſciendũ.19. §.4.D.eod.*

XII. Si quid ita vænierit vt niſi placuerit, intra præfinitum tempus redhiberetur, cõuentionem ratam habebimus. *L. quod ſi nolit.31.§.ſiquid D.eodem.*

XIII. Si de tempore nihil conuenerit, in ſexaginta diebus quibus primùm experiundi poteſtas erit, in factum actionem dabimus.

*L. Ædiles 25. §. præt. l. quod ſi. 31. §. in factum, & ſeq. D. eodem.*

XIIII. Si intra illud tempus redhibitio facta non erit, cauſa cognita ei ſubueniemus.

XV. Si ſeruus fuerit redhibitus, ET QVANTA PECVNIA PRO EO HOMINE SOLVTA ACCESSIONISVE NOMINE DATA ERIT, NON REDDETVR: CVIV'SVE PECVNIÆ QVIS EO NOMINE OBLIGATVS ERIT, NON LIBERABITVR, in factum actionem dabimus.

*L. Ædiles 38. D. eodem.*

XVI. QVI IVMENTA VENDVNT, PALAM RECTE DICVNTO QVID IN QVOQVE EORVM MORBI VITII'VE SIT: VTIQVE OPTIME ORNATA VENDENDI CAVSA FVERINT, ITA EMPTORIBVS TRADANTVR: SI QVID ITA FACTVM NON ERIT, DE ORNAMENTIS RESTITVENDIS IVMENTI'SVE ORNAMENTORVM NOMINE REDHIBENDIS IN DIEBVS SEXAGINTA, MORBI AVTEM VITII'VE CAVSA INEMPTIS FACIENDIS IN SEX MENSIBVS, VEL QVANTO MINORIS CVM VÆNIRENT FVERINT, IN ANNO IVDICIVM DABIMVS.

*L. Ædiles 38. in princ. & §. 1. D. eod.*

XVII. SI IVMENTA PARIA SIMVL VÆNIERINT ET ALTERVM IN EA CAVSA FVERIT, VT REDHIBERI DEBEAT, IVDICIVM DABIMVS QVO VTRVMQVE REDHIBEATVR: QVÆ DE IVMENTORVM SANITATE DIXIMVS, DE CÆTERO QVOQVE PECORE OMNI, VENDITORES FACIANT.

De actione

## EX LIBRO XXV°.

### *De actione rerum amotarum. Tit. 2.*

I. Si vxor conſtante matrimonio res mariti amouiſſe dicatur, in eam actionem dabo, vel iuſiurandum deferre permittam. *L.1.l.Marcellus.§.1.& vl. l.ideo. D.eod.*

### *De inſpiciendo ventre cuſtodiendóque partu. Tit. 4.*

I. SI MVLIER MORTVO MARITO PRÆGNANTEM SE ESSE DICET, HIS AD QVOS EA RES PERTINEBIT, PROCVRATORIVE EORVM BIS IN MENSE DENVNTIANDVM CVRET, VT MITTANT SI VELINT, QVÆ VENTREM INSPICIENT. MITTANTVR AVTEM MVLIERES LIBERÆ DVNTAXAT QVINQVE: HÆQVÆ SIMVL OMNES INSPICIANT: DVM NE QVA EARVM DVM INSPICIT, INVITA MVLIERE VENTREM TANGAT. MVLIER IN DOMV HONESTISSIMÆ FEMINÆ PARIAT, QVAM EGO CONSTITVAM. MVLIER ANTE DIES TRIGINTA QVAM PARITVRAM SE PVTAT, DENVNTIET HIS AD QVOS EA RES PERTINET, PROCVRATORIBVSVE EORVM, VT MITTANT SI VELINT, QVI VENTREM CVSTODIANT. IN QVO CONCLAVI MVLIER PARITVRA ERIT, IBI NE PLVRES ADITVS SINT QVAM VNVS. SI ERVNT, EX *L.1.§.4.D. eodem.*

E

VTRAQVE PARTE TABVLIS PRÆFIGANTVR. ANTE HOSTIVM EIVS CONCLAVIS LIBERI TRES, ET TRES LIBERÆ CVM BINIS COMITIBVS CVSTODIANT. QVOTIESCVMQVE EA MVLIER IN ID CONCLAVE, ALIVDVE QVOD, SIVE IN BALINEVM IBIT; CVSTODES SI VOLENT, ID ANTE PROSPICIANT: ET EOS QVI INTROIERINT EXCVTIANT, CVSTODES QVI ANTE CONCLAVE POSITI ERVNT, SI VOLVNT, OMNES QVI CONCLAVE AVT DOMVM INTROIERINT EXCVTIANT. MVLIER CVM PARTVRIRE INCIPIAT, HIS AD QVOS EA RES PERTINET, PROCVRATORIBVSVE EORVM DENVNTIET, VT MITTANT QVIBVS PRÆSENTIBVS PARIAT. MITTANTVR MVLIERES LIBERÆ DVNTAXAT QVINQVE: ITA VT PRÆTER OBSTETRICES DVAS, IN EO CONCLAVI NE PLVRES MVLIERES LIBERÆ SINT QVAM DECEM: ANCILLÆ, QVAM SEX. HÆ QVÆ INTVS FVTVRÆ ERVNT, EXCVTIANTVR OMNES IN EO CONCLAVI, NE QVA PRÆGNAS SIT. TRIA LVMINA, NE MINVS, IBI SINT: SCILICET QVIA TENEBRÆ AD SVBIICIENDVM APTIORES SVNT. QVOD NATVM ERIT, HIS AD QVOS EA RES PERTINET, PROCVRATORIBVSVE EORVM, SI INSPICERE VOLENT, OSTENDATVR. APVD EVM EDVCATVR, APVD QVEM PARENS IVSSERIT, SI AVTEM NIHIL PARENS IVSSERIT, AVT

IS, APVD QVEM VOLVERIT EDVCARI, CVRAM NON RECIPIET: APVD QVEM EDVCETVR, CAVSA COGNITA CONSTITVAM. IS APVD QVEM EDVCABITVR, QVOD NATVM ERIT, QVO AD TRIVM MENSIVM SIT, BIS IN MENSE: EX EO TEMPORE, QVO AD SEX MENSIVM SIT, SEMEL IN MENSE: A SEX MENSIBVS, QVO AD ANNICVLVS FIAT, ALTERNIS MENSIBVS: AB ANNICVLO, QVO AD FARI POSSIT, SEMEL IN SEX MENSIBVS, VBI VOLET, OSTENDAT. SI CVI VENTREM INSPICI CVSTODIRIVE, ADESSE PARTVI LICITVM NON ERIT, FACTVMVE QVID ERIT, QVO MINVS EA ITA FIANT VTI SVPRA COMPREHENSVM EST: EI QVOD NATVM ERIT POSSESSIONEM CAVSA COGNITA NON DABO. SIVE QVOD NATVM ERIT, VT SVPRA CAVTVM EST, INSPICI NON LICVERIT: QVAS VTIQVE ACTIONES ME DATVRVM POLLICEOR HIS QVIBVS EX EDICTO MEO BONORVM POSSESSIO DATA SIT: EAS, SI MIHI IVSTA CAVSA VIDEBITVR ESSE, EI NON DABO.

## *Si ventris nomine muliere in poſſeſſionem miſſa, &c. Tit. 5.*

1. Si ventris nomine muliere in poſſeſſionem miſſa, eadem poſſeſſio dolo malo ad alium tranſlata eſſe dicetur: tam aduerſus mulierem, quàm *L.1.D.eod.*

aduerſus eum, in cuius poteſtate ea fuerit, quanti actoris interfuerit, in tantum actionem dabo.

L.1.D.eod. II. Eum quoque qui per dolum in poſſeſſionem venerit, ab ea decedere cogam.

## *Si mulier ventris nomine in poſſeſſione calumniæ cauſa eſſe dicetur. Tit. 6.*

Ex inſcript. & l.vnic.D. eod. I. Si mulier ventris nomine in poſſeſſione calumniæ cauſa eſſe dicetur, quanti agentis interfuerit, intra annum quo agendi poteſtas erit, actionem dabo, etiam aduerſus parentem, ſi per eum factum ſit, vt in poſſeſſionem per calumniam iretur.

---

## EX LIBRO XXVI°.

### *De teſtamentaria tutela. Tit. 2.*

L.17.l.ſine- mo.19.D.eod. I. Si quis ex pluribus tutoribus ſatiſdationem obtulerit vt ſolus adminiſtret, an ille audiri, cæteriſque nihilominus eadem conditio deferri debeat, causâ cognitâ conſtituam.

### *De tutoribus & curatoribus datis ab his qui ius dandi habent. Tit. 5.*

L.ventri.20. D.eodem. I. Si mulier prægnas eſſe dicetur, ventri curatorem conſtituam.

## *De adminiſtratione & periculo tutorum. Tit. 7.*

I. Si plures tutores teſtamento dati fuerint, ei potiſſimùm tutelæ adminiſtrationem commiſtam, quem parens teſtamento deſtinauerit. *L.3.§.ult. & penult.D.eod.*

II. Quod ſi nullus à teſtatore electus fuerit, aut qui electus eſt gerere nolit, tum eum gerere cogam, cui maior pars tutorum tutelam decreuerit.

## EX LIBRO XXVII°.

## *Vbi pupillus educari vel morari debeat. Tit. 2.*

I. Si quis pupillum apud ſe educare recuſauerit, eum non cogam. *L.1.§.1. D. eod.*

## *De Tutelæ & rationibus diſtrahendis. Tit. 3.*

I. Si quid ex bonis pupilli abeſſe dicetur, aduerſus eum qui in adminiſtranda tutela aliquid abſtulerit, in duplum iudicium dabo. *L.1.§ penult. & l.2.D.eod.*

II. Eum qui tutelam geſſit, rationem eo nomine reddere cogam. *L.1.D.eod.*

## *De contraria tutelæ actione. Tit. 4.*

I. Si quid ex adminiſtratione bonorum pupilli debeatur, eo nomine in eum contrariam actionem dabo. *L.1.D.eod.*

## *De eo qui pro tutore, próve curatore negotia geſſit. Tit. 5.*

*L.1.D.eod.* I. Siue tutor aut curator negotia geſſerit: ſiue quis pro tutore aut pro curatore, ad ea gerenda acceſſerit, aduerſus eum qui geſſiſſe dicetur, actionem dabo.

## *Quod falsò tutòre authore geſtum eſſe dicetur. Tit. 6.*

*L.1.in princ. & §.2.& 3. D.eod.* I. QVOD EO AVTHORE QVI TVTOR NON FVERIT GESTVM ESSE DICETVR SI ID ACTOR IGNORAVIT, DABO IN INTEGRVM RESTITVTIONEM.

*L.7.D.eod.* II. IN EVM QVI CVM TVTOR NON ESSET, DOLO MALO AVTHOR FACTVS ESSE DICETVR, IVDICIVM DABO, VT QVANTI RES EA ERIT, IN TANTAM PECVNIAM CONDEMNETVR.

---

## EX LIBRO XXVIII°.

## *De conditionibus inſtitutionum. Tit. 7.*

*L.8.in princ. D.eod.* I. Eum cui ſub iuriſiurandi conditione quid relictum eſt, ita capere ſinam, vt capiunt hi quibus nulla talis iuriſiurandi conditio inſeritur.

## *De iure deliberandi. Tit. 8.*

*L. ſi quis 23.* I. Heredem inſtitutum intra certum tempus

hereditatem adire iubebo, SI TEMPVS AD DELIBERANDVM PETET, DABO. *D. de hered. inſtit. l. 1. D. eod.*

II. Creditoribus inſtrumentorum inſpiciendorum copiam faciam. *L. 5. D. eod.*

III. Si maior ſit hereditas, & in ea hereditate res quæ ex tractu temporis deteriores fiant, aut ea quæ nimium ſumptuoſa ſint: aut quæ mora fiant deteriora: ei qui deliberat causâ cognitâ huiuſmodi res ſine præiudicio iuſtis pretiis diſtrahere permittam. *L. 5. §. 1. D. eod.*

IIII. SI PVPILLI PVPILLÆVE NOMINE POSTVLABITVR AD DELIBERANDVM AN EXPEDIAT EVM HÆREDITATEM RETINERE, ET HOC DATVM SIT, SI IVSTA CAVSA ESSE VIDEBITVR, BONA INTEREA DIMINVI, NISI CAVSA COGNITA, BONI VIRI ARBITRATV VETABO. *L. 7. D. eod.*

---

## EX LIBRO XXIX°.

### *De adquirenda vel omittenda hereditate. Tit. 2.*

I. PROXIMVS A FILIO POSTVMO HERES DVM MVLIER PRÆGNAS EST, AVT PVTATVR ESSE, ADIRE HEREDITATEM NON POTEST, SED SI SCIT NON ESSE PRÆGNANTEM, POTEST. *L. cùm quidã. 30. D. eod.*

II. Suo & neceſſario heredi tam maſculo quàm fœminæ abſtinendi ſe ab hereditate poteſtatem faciam, impuberi etiam ſi ſe immiſcuerit hereditati, puberi ſi ſe non immiſcuerit. *L. neceſſarijs. 57. D. eodem. Vlp. in lib. regu. tit. qui hered. inſt. poſſ.*

*L. ſi ſeruũ. 71. §. prætor ait. D. eod.* III. SI PER EVM EAMVE FACTVM ERIT QVO QVID EX EA HEREDITATE AMOVERETVR, abſtinendi beneficium non dabo.

## *Teſtamenta quemadmodum aperiantur. Tit. 3.*

*L. 1. 2. & 8. D. eod. l. 3. c. eod. l. illa verba. 163. D. de ver. ſignif.* I. Quod ad cauſam ſupremi alicuius iudicij pertinere dicetur, inſpicere ac deſcribere deſideranti, ſuo vel alieno nomine: ſi priùs de calumnia iurauerit, præter eam partem ſupremarũ tabularum quam aperiri defunctus vetuit, vel ad ignominiam alicuius pertinere dicetur, inſpiciẽdi deſcribendíque præter diem & conſulem poteſtatem faciam.

## *Si quis omiſſa cauſa teſtamenti, &c. Tit. 4.*

*L. 1. l. 6. §. 2. l. 13. 26. 27. D. eodem.* I. Si quis cauſam teſtamenti prætermiſiſſe dicatur, vt ab inteſtato vel alio modo hereditatem partémve eius poſſideat quo eos circumueniat, quibus ex iudicio defuncti aliquid deberi potuit, in eum causâ cognitâ actionem dabo.

## *De Senatuſconſulto Sylaniano. Tit. 5.*

*L. 3. §. 11. 12. 13. 14. 15. 17. 18. D. eodem.* I. Quod ad cauſam teſtamenti pertinens relictum erit ab eo qui occiſus eſſe dicetur, id ne quis ſciens dolo malo aperiẽdum, recitãdum, deſcribendúmvue curet, priuſquàm de ea familia quæſtio ex ſenatuſconſulto habita, ſuppliciúmque de noxijs ſumptum fuerit, vetabo.

II. Bono-

II. Bonorum quoque poſſeſſionem petere non permittam. *L.5. in princ. D. eodem.*

III. Quod ſi quis aperuiſſe, aut quid aliud eorum quæ ſuprà dicta ſunt feciſſe dicetur, in centum aureos eum condemnabo: quorum dimidiam partem ei cuius opera conuictus erit, dabo: alteram in publicam cogam. *L.25. §.2. D. eodem.*

---

## EX LIBRO XXXV°.

### *Si cui plus quàm per legem Falcidiam liceat, &c. Tit. 3.*

I. Si cui plus quàm per legem Falcidiam liceat, legatum eſſe dicetur, & dubitari iuſtè poſſit, vtrũ lex Falcidia locum habitura ſit, nec ne cauſa cognita ſubueniam heredi: vt ei legatarius ſatiſdet, ſi apparuerit eum amplius legatorum nomine cepiſſe quàm è lege Falcidia capere licebit, quanti ea res erit, tantam pecuniam daturum, dolumque malum ab eo abfuturum. *L.1. in prin. l. 4. D. eod. l. aliud. 71. D. de verb. ſignif.*

---

## EX LIBRO XXXVI°.

### *Vt legatorum ſeu fideicommiſſorum ſeruandorum cauſa caueatur. Tit. 3.*

I. Legatorum & fideicommiſſorum nomine ſatiſdare iubebo, vt quibus teſtator diebus dari fieríve voluit, iiſdem detur vel fiat, dolúmque *L.1. in princ. D. eod.*

malum abeſſe abfuturúmque eſſe inter ſe ſtipulari cogam.

## *Vt in poſſeßionem legatorum,&c.Tit.4.*

*L.1.§.1.D.eod l.1.D. vt in poſſeſſ.legat.*

I. Si per legatarium vel fideicommiſſarium non ſtet quo minus ei caueatur, eum in poſſeſſionem ire iubebo.

---

## EX LIBRO XXXVII°.

## *De Bonorum poſſeßionibus. Tit.1.*

*L.13.D.bon. poſſeſſ.*

I. Ijs qui rei capitalis damnati ſunt, neque in integrum reſtituti ſunt, bonorum poſſeſſionem non dabo.

## *Si tabulæ teſtamenti extabunt. Tit.2.*

*L.1.in princ. D.eod.*

I. Si tabulæ teſtamenti extabunt in quibus heredis nomen ita deletum ſit, vt penitus legi nequeat, bonorum poſſeſſionem non dabo.

II. Si tamen poſt prolatas tabulas deletum fuerit teſtamentum, aut tabulæ deinde interierint, ſecundùm eas nihilominus bonorum poſſeſſionem dabo.

## *De bonorũ poßeſſione, furioſo.&c.Tit.3.*

*Ex inſcr. tit. & l.2.D.eod.*

I. Furioſo, infanti, muto, ſurdo & cæco, ſi quid agatur intelligant, bonorum poſſeſſionem dabo.

## *De bonorum poſſeßione contra tabulas. Tit. 4.*

*L.1.l.3.§.9.l.*

I. Si ſui liberi, heredes non fuerint inſtituti

aut nominatim exheredati: neque etiam emancipati qui maſculi ſunt, nec fœminę vel inter cæteros; ijs contra tabulas bonorum poſſeſſionem dabo; exceptis ijs qui iure HEREDES INSTITVI NON POSSVNT. 8. D. eod. tit. inſt. de exhered. liber. §. emancipatos. Vlp. lib. regu. tit. qui hered. inſtit. poſſ.

II. Liberos in adoptionem datos, modò heredes inſtituti ſint, à bonorum petitione non ſubmouebo. L. 8. §. 9. & 10. D. eod.

## *De legatis præſtandis cõtra tabulas. &c. Tit. 5.*

I. Qui iudicia patris reſcindunt per contra tabulas bonorum poſſeſſionem, ex iudicio eius legata & fideicommiſſa liberis, parentibus, vxori, nurui quoq; dotis nomine, relicta eos præſtare cogã: non tamen ijs liberis, quibus ex ſuperioribus cauſis bonorum poſſeſſionem polliceor, ſi eam petierint, aut ſi quid aliud ex defuncti volũtate obtinuérint. L. 1. D. eod. L. 5. §. 3. & 4 D. eodem.

## *De collatione. Tit. 6.*

I. Filios emancipatos quibus bonorum poſſeſſio dabitur, ſua bona in medium conferre filijs in poteſtate exiſtentibus boni viri arbitratu iubebo: ita vt collatio fieri cenſeatur, ſi rectè eo nomine cautum fuerit. L. 1. in pr. § 1. et 7. l. 3. in pr. & § 3. l. 5. § 1. l. 8. D. eodem. Vlp. ĩ lib. reg. tit. de poſſ. dã. Paul. rec. ſent. li. 5 t. 9. l. filiũ 20. § ſed. D. de bonor. poſſ. cont. tab.

## *De datis collatione. Tit. 7.*

I. Filiam quæ bonorum poſſeſsionem petet, dotem conferre cogam. L. 1. in princ. D. eodem.

## *De coniungendis cum emancipato liberis. Tit. 8.*

*L.1.in prin.§.6.& 12.D.eod.*

I. Si quis ex his quibus bonorum poſſeſſio datur in poteſtate parentis, cùm moritur, non fuerit, ei liberíſque quos in eiuſdem parentis familia habet (ſi ad eos hereditas proprio nomine pertineat, neque notam exhæredationis meruerint) bonorum poſſeſſionem eius partis dabo, quæ ad eum pertineret ſi in poteſtate permanſiſſet, ita vt ex ea parte dimidiam ipſe, reliquam liberi habeant, híſque duntaxat bona ſua conferat.

## *De ventre in poſſeſſionem mittendo. Tit. 9.*

*L.1.§.1.2.& 7.l.7.verſus finem.D.eod.*

I. Si mulier prægnas eſſe dicetur mortis tempore, & non ſit exheredatus qui in vtero erit, ſitque inter ſuos heredes futurus cum ijs quibus poſſeſsio data erit, cauſâ cognita ventré in poſſeſsionem mittam.

## *De Carboniano edicto. Tit.* 10.

*L.1.in prin.l.3.§.4.& 13.l.4.l.5.& penul.D.eod.*

I. Si cui controuerſia fiat an inter liberos ſit, íſque impubes eſſe dicatur, cauſâ cognita intra annum perinde ei bonorum poſſeſsionem dabo ac ſi nulla de ea re controuerſia eſſet; eúmque eo nomine ſatiſdare iubebo: Iudicium verò cauſâ cognita in tempus pubertatis differam.

## *De bonorum poſſeſſionibus ſecundùm tabulas. Tit. 11.*

*L.1.C.Herm. de ſucc. Cicero lib.1. in Verr. inſt.t. de teſt. §.1. l.1. in pr. §.2.3. et 5. D. eod. Vlp. in li. reg. t. quẽad. teſt. rũp. 24. & tit. de poſſ. dand. 24.*

I. Si de hereditate ambigitur & tabulæ teſtamenti ſeptem teſtium ſignis obſignatæ ad me proferantur, ſecundùm tabulas teſtamenti potiſsimum hereditatem dabo: Si teſtator ciuis Romanus & ſuæ poteſtatis, cũ moritur, fuerit.

II. Si alienus poſthumus heres inſtitutus fuerit, ei ſecundùm tabulas bonorum poſſeſsionem dabo.

*L.3.D. hoc t. inſt t. de bon. poſſ. in princ.*

## *Si à parente quis mammiſſus ſit. Tit. 12.*

I. IN EO QVI A PATRE AVOVE PATERNO PROAVOVE PATERNI AVI PATRE manumiſſus erit, idem ius conſtituam, eandémq; contra tabulas bonorum poſſeſsionem dabo quã patrono in liberti bonis.

*L.1.D. eod.*

## *De bonorum poſſeſsione ex teſtamento militis. Tit. 13.*

I. Si miles teſtamentum feciſſe dicatur: quocunque modo teſtatus fuerit & qualemcumque hereditatis partem aut legatum cuicumque reliquerit, in ſcriptis aut ſine ſcriptis, eo in militia defunćto, aut intra annũ poſt miſsionem ex Principum conſtitutionibus iuxta eorũ voluntatem bonorum poſſeſsionem dabo.

*L.1.2.13.15.17.19.38. & 40. D. eod.*

II. Si qui in hoſtico ſuprema ſua iudicia iure militari ordinaſſe, ibidémque ſupremum diem

*L. vnic. D. eodem.*

functi eſſe dicantur, etiamſi milites non fuerint, ſecundùm eorum voluntatem bonorum poſſeſſionem dabo.

## EX LIBRO XXXVIII°.

### *De operis libertorum. Tit. 1.*

*L.2.& 7.D. eodem.*

I. Si operæ à patrono, patrona, liberíſque eorum petantur aduerſus libertos & libertas, de ea re iudicium dabo.

### *De bonis libertorum. Tit. 2.*

*Inſtit. tit. de ſucceſſ. libert. §.1.l.6.D. de bonor. poſſeſſ.*

I. Libertus qui teſtamentum faciet, ita teſtari debet, vt partem dimidiam bonorũ ſuorum patrono relinquat: Si nihil aut minùs parte dimidia reliquerit, patrono contra tabulas teſtamenti, heredi ſcripto ſecundùm tabulas partis dimidiæ bonorum poſſeſsionem dabo.

II. Scripto herede non petente, alterius quoq; partis patrono bonorũ poſſeſsionem dabo.

III. Si libertus inteſtatus mortuus eſſe dicetur ſuo herede relicto filio adoptiuo, patrono itidẽ partis dimidiæ bonorum poſſeſsionem dabo.

IIII. Si naturales liberos reliquerit, ſiue ij in poteſtate mortis tempore fuerint, ſiue emancipati, ſiue etiam in adoptionem dati, modò ex aliqua parte ſcripti heredes fuerint, patrono bonorum poſſeſsionem non dabo.

*L. Iulian⁹ 37. D. eod. l. ſæpe 53. D. de verb. ſignif. vide in ris notas à Magnone collectas.*

V. SI DONVM, MVNVS, OPERAS REDEMERIT libertus, contra tabulas teſtamenti patrono cui nihil relictum erit, bonorum poſſeſſionem non dabo.

## *De libertis vniuerſitatis. Tit. 3.*

1. Quod ius patrono in libertorum & libertarum bonis tributum eſt, idem municipibus acquiſitum eſto. *L. vnic. D. de libert. vniuerſ.*

## *Si quid in fraudem patroni factum ſit. Tit. 5.*

1. Si quid dolo malo liberti factum eſſe dicetur: ſiue teſtaméto facto, ſiue inteſtatus deceſſerit libertus, quominus pars debita bonorum ad eorum quem perueniat, quib⁹ contra tabulas bonorum poſſeſsio competit, de ea re cognoſcam, operámque dabo ne ea res cuiquam fraudi ſit. *L. vnic. in princ. D. eod.*

## *Si tabulæ teſtamenti nullę extabunt, vnde liberi. Tit. 6.*

1. Si tabulæ teſtamenti nullæ extabunt, vnde liberi bonorum poſſeſsionem petet: ſiue ſui ſint, ſiue emancipati, aut capite minuti, itémque ciuitate donati; eis ab interſtato bonorum poſſeſsionem dabo. *L. 1. §. 3. l. 4. D. ſi tab. teſt. null. ext. Item in collat. legis Moſaïc. cum Rom. tit. vlt. verſ. fin.*

Si quis ex ijs in poteſtate parentis cùm is moritur non fuerit, ei liberíſque quos in eiuſdem familia habebit, ſi adeos hereditas ſuo nomine pertinebit, neque nominatim exheredes ſcripti erunt, bonorum poſſeſsionem eius partis dabo, quæ ad eum pertineret, ſi in poteſtate manſiſſet, ita vt ex ea parte dimidium ipſe habeat, reliquũ liberi eius: híſque dumtaxat bona ſua conferat. *L. 1. & 4. D. eod.*

## *Vnde legitimi. Tit. 7.*

*L.1. & 4. D. vnde legitim. Collat. legis Moſaïc. cum Rom. Tit. vlt. verſ. fin. l. vnic. D. vt ex legib. ſenat.*

I. Vnde legitimi bonorum poſſeſsionem pe-tent, ſi nullæ inde teſtamenti tabulæ proferantur: tum quem ei heredem eſſe oporteret, ſi inteſtatus mortuus eſſet, cum bonorum poſſeſſorem faciam: ita vt conſanguinei cæteris præferantur.

## *Vnde x. perſonæ.*

*Inſtit. Tit. de bonor. poſſeſſ. & collat. leg. Moſaïc. cap. vlt. verſ. fin.*

I. Vnde x. perſonæ bonorum poſſeſsionem petent, pater, inquam, mater, auus auia paterni: auus auia materni: filius, filia, nepos, neptis, tam ex filio, quàm ex filia, frater ſoror, ſiue cõſanguinei ſiue vterini, ſi nullæ inde tabulæ teſtamenti proferantur: & non contracta fiducia emancipatio peracta eſſe dicatur, has decem perſonas extraneo manu miſſori anteponam, iiſque ab inteſtato bonorum poſſeſſionem dabo.

## *Vnde cognati. Tit. 8.*

*L. 1. §. 2. & ſeq. D. eod. l. 8. D. de ſuis & legitim. hered.*

I. Vnde cognati bonorum poſſeſsionem petét, ſi nullæ inde teſtamenti tabulæ proferantur, eis qui defuncto mortis tempore cognati fuerunt, proximitatis nomine vſque ad ſextum gradum cognationis, bonorum poſſeſsionem dabo, & ſeptimo ſobrino ſobrinęque, nato natæve.

*Inſtit. Tit. de ſucceſſ. cognat. l. 1. §. 2. & ſeq. D. vnde. cognat.*

II. Agnatis capite minutis, exceptis fratre & ſorore emancipatis, niſi ſint in adoptiua familia, itémque liberis naturalibus, ex hac parte eádem bonorum poſſeſsionem dabo.

Tum

## *Tum quem ex familia.*

I. Si libertus inteſtato mortuus eſſe dicetur, tũ quem ex familia eius heredem eſſe oporteret, ad bonorum poſſeſſionem vocabo. *Iuſtin. & Theop. inſtit. Tit. de bonor. poſſ.*

## *Vnde liberi patroni.*

I. Vnde liberi patroni patronæque & parentes eorum bonorum poſſeſſionem petent, ſi nullæ inde teſtamenti tabulæ proferantur, ab inteſtato bonorum poſſeſſionem dabo. *Iuſtin. inſtit. Tit. de bonor. poſſeſſ.*

## *De ſucceſſorio edicto. Tit. 9.*

I. Qui ad bonorum poſſeſſionem ex ſuperioribus capitibus vocantur, eam petant; liberi & parentes intra annũ, cæteri intra centeſimũ dié. *L. 1. in princ. D. eod. inſtit. Tit. de bonor. poſſ. §. liberis.*

II. Si quis eorum eam bonorum poſſeſſionem dari ſibi noluerit, aut diebus ſtatutis non admiſerit, tunc cæteris bonorũ poſſeſſionem ita dabo, ac ſi prior ex eo numero non fuiſſet. *L. 1. §. 4. D. eod.*

## *Vnde vir & vxor. Tit. 11.*

I. Vnde vir & vxor bonorum poſſeſſioné petent: Si nullæ inde teſtamenti tabulæ proferantur, ei qui petet, ab inteſtato bonorum poſſeſsionem dabo. *L. 1. D. eod. inſtit. Tit. de bonor. poſſeſſ.*

## *Vnde cognati manumiſſoris.*

I. Vnde cognati manumiſſoris petent bonorum poſſeſsionem ſi nullæ inde teſtamenti tabulæ proferantur, eis qui petent, ab inteſtato bonorum poſſeſsionem dabo. *Inſtit. Tit. de bonor. poſſeſſ.*

## *De veteranorum & militum ſucceßione. Tit. 12.*

L. 1. D. eod. I. Si miles aut veteranus inteſtatus mortuus eſſe dicatur cui ſint caſtrenſia bona: legitimo heredi, aut ſi is non erit, proximo cognato vſque ad quintum gradum bonorum poſſeſſionem dabo: poſt eum gradum fiſco vindicabuntur.

## *Vt ex legibus Senatúsve conſultis, &c. Tit. 14.*

L. 1. D. eod. I. VTI ME QVAQVE LEGE, SENATVSVE CONSVLTO, BONORVM POSSESSIONEM DARE OPORTEBIT, ITA DABO.

---

# EX LIBRO XXXIX°.

## *De operis noui nuntiatione. Tit. 1.*

L. 5. §. 13. D. eod. l. 7. in princ. D. de damn. inf. I. Si nouum opus nuntiatũ fuerit ab eo qui iurauerit ſe nõ calumniæ cauſa id facere: ne quidquam noui operis fiat, vetabo antequam nuntiatio miſſa facta fuerit vel vice nuntiationis miſſæ de opere reſtituendo ſatiſdatum ſit.

L. 5. §. 11 & 12. D. eod. II. Si quis riuos vel cloacas velit reficere aut purgare, aut aliud eiuſmodi op⁹ facere, cuius mora periculum aliquod allatura ſit, operis noui nuntiationem ei fieri non permittam.

L. 20. in princ. D. eod. l. cum pretor. 81. D. de verb. ſignif. III. QVEM IN LOCVM NVNTIATVM EST, NE QVID NOVI OPERIS FIERET, QVA DE RE AGITVR, QVOD IN EO LOCO, ANTE-

QVAM NVNTIATIO FVERIT REMISSA, AVT IN EA CAVSA ESSET VT REMITTI DEBERET, FACTVM EST, ID RESTITVAS.

IV. QVEM IN LOCVM NVNTIATVM EST NEQVID NOVI OPERIS FIERET, QVA DE RE AGITVR, SI DE EA RE SATISDATVM EST, QVOD EIVS CAVTVM SIT, VEL PER TE STAT QVOMINVS SATISDETVR, QVOMINVS ILLI IN EO LOCO OPVS FACERE LICEAT, VIM FIERI VETO. *L. 20. §. 5. D. eod.*

## *De damno infecto. Tit. 2.*

I. Si damni infecti nomine agatur magiſtratibus municipalibus remittam vt apud eos caueatur damni infecti nomine fideiuſſoribus datis aut ſponſione facta, intra eum diem qui à me conſtitutus erit. *L. 1. & 4. D. eod. l. 7. & D. de verbor. ſignif.*

II. Si intra illum diem non caueatur: ei cui nõ cauebitur, in poſſeſſionem EIVS REI mitti iubebo, DVM EI QVI ABERIT PRIVS DOMVM DENVNTIARI IVBEAM. *L. 4. D. eod.*

III. In eum magiſtratum qui non curauerit quæ ſuprà ſcripta ſunt, ſi ab eo id poſtulatum fuerit, quanti ea res erit cuius damni infecti nomine cautum non erit, iudicium dabo. *L. 4. §. 5. D. eod.*

IV. DAMNI INFECTI SVO NOMINE PROMITTI, ALIENO SATISDARI IVBEBO EI QVI IVRAVERIT, NON CALVMNIÆ CAVSA ID SE POSTVLARE, EVMVE CVIVS NOMINE AGET, POSTVLATVRVM FVISSE IN EAM DIEM, QVAM CAVSA COGNITA STATVERO: SI CONTROVERSIA ERIT, *L. 7. D. eod.*

DOMINVS SIT NECNE QVI CAVEBIT, SVB EXCEPTIONE SATISDARI IVBEBO.

V. DE EO OPERE, QVOD IN FLVMINE PVBLICO, RIPAVE EIVS FIET, IN ANNOS DECEM SATISDARE IVBEBO: EVM CVI ITA NON CAVEBITVR, IN POSSESSIONEM EIVS REI, CVIVS NOMINE VT CAVEATVR POSTVLABITVR, IRE ET CVM IVSTA CAVSA ESSE VIDEBITVR, ETIAM POSSIDERE IVBEBO.

VI. IN EVM, QVI NEQVE CAVERIT, NEQVE IN POSSESSIONE ESSE, NEQVE POSSIDERE PASSVS ERIT, IVDICIVM DABO: VT TANTVM PRÆSTET, QVANTVM PRÆSTARE EVM OPORTERET, SI DE EA RE EX DECRETO MEO, EIVSVE CVIVS DE EA RE IVRISDICTIO FVIT, QVÆ MEA EST, CAVTVM FVISSET.

VII. EIVS REI NOMINE, IN CVIVS POSSESSIONEM MISERO, SI AB EO QVI IN POSSESSIONE ERIT, DAMNI INFECTI NOMINE NON SATISDABITVR, EVM CVI NON SATISDABITVR, SIMVL IN POSSESSIONE ESSE IVBEBO.

## *De aqua & aquæ pluuiæ arcendæ. Tit. 3.*

*L. 1. in princ. §. 1. & 12. D. eod.*

I. Si cui aqua pluuia damnum dabit opere manu facto aquæ pluuiæ arcendæ ei actionẽ dabo.

*L. in concedendo 8. & l. ſeq. D. eod.*

II. In concedendo iure aquæ ducendæ, tam eorum in quorum loco aqua oritur, quàm eorũ ad quos eius aquæ vſus pertinet, voluntas exquiratur.

III. Quod ſi ij conſentiant, ſecundùm eorum voluntatem, ductionem fieri iubebo.

## *De publicanis & vectigalibus, & commiſſis. Tit. 4.*

I. QVOD PVBLICANVS, AVT QVIS PVBLICANI NOMINE VI ADEMERIT, QVODVE FAMILIA PVBLICANORVM, SI ID RESTITVTTM NON ERIT, IN DVPLVM, AVT SI POST ANNVM AGETVR, IN SIMPLVM IVDICIVM DABO. ITEM SI DAMNVM INIVRIA, FVRTVMVE FACTVM ESSE DICETVR, IVDICIVM DABO. SI ID AD QVOS EA RES PERTINEBIT, NON EXHIBEBITVR, IN DOMINOS SINE NOXÆ DEDITIONE IVDICIVM DABO. *L.1.& 12.D. eod.*

## EX LIBRO XL°.

## *De liberali cauſa. Tit. 12.*

I. In liberali cauſa parentibus & liberis alijſq; neceſſarijs perſonis, inuito eo qui in ſeruitutem aſſeritur, cauſa cognita litigare permittam. *L.1.D.eod.*

II. Si qui cùm ſe liberos ſcirent, dolo malo paſſi ſunt ſe pro ſeruis venundari, in duplum aduerſus eos intra annum iudicium dabo. *L. rectiſſimè 14. l. immò 16 l. in tantum 18. l. vel obligatus 20. l. vtiq; 21. & ſeq. D. eod.*

## EX LIBRO XXXII°.

## *De re iudicata. Tit. 1.*

I. CONDEMNATVS VT PECVNIAM SOL- *L.4.§ 1. & 3. l.7. D. eod.*

VAT AB EO CVIVS DE EA RE IVRISDICTIO EST: Si neque ſoluat intra legitimum tempus, NEQVE EO NOMINE SATISFACIAT, in eum iudicati actionem dabo.

l. ſi victũ 34. D. eo. l. verbo. 43. & duab. ſeq. D. de verb. ſignif.

II. Si victum vel ſtratum inferri quis iudicato non patiatur, in eum vti ea res erit, animaduertã.

## *De confeſſis.* *Tit.* 2.

L. 1. & 2. D. eodem.

I. Confeſſus ſi intra legitimum tempus pecuniam non ſoluat, neque eo nomine ſatisfaciat, in eum vt in condemnatum actionem dabo.

## *Quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur.* *Tit.* 4.

L. 2. D. eod. I. IN BONA EIVS, QVI IVDICIO SISTENDI CAVSA FIDEIVSSORES DEDERIT, SI NEQVE POTESTATEM SVI FACIAT, NEQVE DEFENDATVR, IRI IVBEBO.

L. 3. & 5. D. eodem. II. Si aduerſus pupillum ex contractu cum eo inito agatur, iſque non defendatur, bona eius quandiu impubes erit, rei ſeruandæ cauſa poſſideri iubebo.

L. 5. §. 2. D. eodem. III. SI PVPILLVS IN SVAM TVTELAM VENERIT, VEL PVPILLA VIRIPOTENS FVERIT, ET RECTE DEFENDANTVR, EOS QVI BONA POSSIDENT, DE POSSESSIONE DECEDERE IVBEBO.

L. 6. D. eod. IV. ET EIVS CVIVS BONA POSSESSA SVNT A CREDITORIBVS VENEANT, PRÆTERQVAM PVPILLI ET EIVS QVI REIP. CAVSA SINE DOLO MALO AFFVIT.

V. QVI FRAVDATIONIS CAVSÂ LATITAVIT, SI BONI VIRI ARBITRATV NON DEFENDATVR, EIVS BONA POSSIDERI VENDIQVE IVBEBO. *L. 7. in princ. D. eodem.*

## *De rebus authoritate iudicis poſſidendis ſeu vendundis. Tit. 5.*

I. Si qui fructus ex prædio debitoris capi poterunt, eos creditor qui in poſſeſſionem bonorũ miſſus eſt vendere aut locare neceſſe habeat. *L. 8. D. eod.*

II. Si tamen à debitore ante venditi aut locati fuerint, venditionem aut locationem à debitore factam, etſi minoris diſtractum eſt vel locatum, tuebor. *L. 8. D. eod.*

III. Niſi in fraudem creditorum venditio aut locatio facta eſſe dicatur, quo caſu arbitrium creditoribus dabo, vt ex integro venditionem aut locationem faciant. *L. 8. D. eod.*

IV. SI QVIS CVM IN BONORVM POSSESSIONE ESSET, QVOD EO NOMINE FRVCTVS CEPERIT, EI AD QVEM EA RES PERTINET, NON RESTITVAT: SIVE QVOD IMPENSÆ, SINE DOLO MALO FECERIT, EI NON PRÆSTABITVR, SIVE DOLO MALO EIVS DETERIOR CAVSA POSSESSIONIS FACTA ESSE DICETVR, DE EA RE IN FACTVM IVDICIVM DABO. *L. 9. D. eod.*

V. QVOD POSTEA CONTRACTVM ERIT, QVAM IS CVIVS BONA VENIERINT, CONSILIVM RECEPERIT, FRAVDARE SCIENTE *L. ait prætor. 25. D. eod. in vulgatis codicibus eſt lex.*

9. D. de priuilegiis creditorum. EO QVI CONTRAXERIT, NE ACTIO EO NOMINE DETVR.

## *Quæ in fraudem creditorum geſta ſunt vt in integrum reſtituantur. Tit. 8.*

L. D. eod. I. QVÆ FRAVDATIONIS CAVSA GESTA ERVNT EO QVI FRAVDEM NON IGNORAVERIT, DE HIS CVRATORI BONORVM, VEL EI CVI DE EA RE ACTIONEM DARE OPORTEBIT, INTRA ANNVM QVO EXPERIVNDI POTESTAS FVERIT, ACTIONEM DABO: IDQVE ETIAM ADVERSVS IPSVM QVI FRAVDEM FECIT SERVABO.

L. 10. D. eod. II. QVÆ LVCIVS TITIVS FRAVDANDI CAVSA, SCIENTE TE IN BONIS QVIBVS DE AGITVR, FECIT, EA ILLI, SI EO NOMINE QVO DE AGITVR, ACTIONEM EX EDICTO MEO COMPETERE, ESSEVE OPORTET, ET SI NON PLVS QVAM ANNVS EST, CVM DE EA RE QVA DE AGITVR EXPERIVNDI POTESTAS EST, RESTITVAS, atque etiam FRVCTVS qui FVNDO COHÆSISSE dicentur, INTERDVM CAVSA COGNITA, ETSI SCIENTIA NON SIT, IN FACTVM ACTIONEM PERMITTAM. (L. vlt. §. 4. D. eod.)

---

## EX LIBRO XLIII°.

### *Quorum bonorum. Tit. 2.*

L. 1. D. eod. I. QVORVM BONORVM EX EDICTO MEO

MEO ILLI POSSESSIO DATA EST, QVOD DE HIS BONIS PRO HEREDE AVT PRO POSSESSORE POSSIDES, POSSIDERESVE, SI NIHIL VSVCAPTVM ESSET, QVOD QVIDEM DOLO MALO FECISTI, VTI DESINERES POSSIDERE, ID ILLI RESTITVAS. *l. nemo. 68. D. pro ſoc.*

## *Quod legatorum. Tit. 3.*

1. Quod legatorum nomine poſſides, AVT DOLO DESIISTI POSSIDERE, non EX VOLVNTATE EIVS AD QVEM EA RES PERTINET, SI PER BONORVM POSSESSOREM NON STAT, VT SATISDETVR, id illi reſtituas. *L. 1. & 2. D. eodem.*

## *Ne vis fiat ei qui in poſſeßionem miſſus eſt. Tit. 4.*

1. SI QVIS DOLO MALO FECERIT QVOMINVS QVIS PERMISSV MEO, EIVSVE CVIVS DE EA RE IVRISDICTIO FVERIT, IN BONORVM POSSESSIONE SIT, IN EVM, IN FACTVM IVDICIVM, QVANTI RES EA FVERIT OB QVAM IN POSSESSIONEM MISSVS ERIT, DABO. *L. 1. D. eod.*

## *De tabulis exhibendis. Tit. 5.*

1. QVAS TABVLAS LVCIVS TITIVS AD CAVSAM TESTAMENTI PERTINENTES RELIQVISSE DICETVR, SIVE HÆ PENES TE SVNT, AVT DOLO MALO TVO FACTVM EST VT ESSE DESINERENT, ITA EAS ILLI EXHIBEAS. ITEM SI LIBELLVS ALIVD- *L. 1. D. eod. l. penes te 63. de verb. ſign. Paul. lib. 4. recept. ſent. Tit. 7.*

VE QVID RELICTVM ESSE DICETVR, DECRETO COMPREHENDAM.

## *Ne quid in loco ſacro fiat. Tit. 6.*

*L. 1. D. eod.* I. IN LOCO SACRO FACERE, INVE EVM IMMITTERE QVID, VETO.

## *Ne quid ĩ loco publico vel itinere fiat. T. 8.*

I. NE QVID IN LOCO PVBLICO FACIAS, INVE EVM LOCVM IMMITTAS, QVA EX
*L. 1. D. eod.* RE QVID ILLI DAMNI DETVR, PRÆTERQVAM QVOD LEGE, SENATVSCONSVLTO, EDICTO, DECRETOVE PRINCIPVM TIBI CONCESSVM EST: DE EO QVOD ERIT FACTVM, INTERDICTVM DABO.

II. IN VIA PVBLICA, VEL ITINERE PVBLICO FACERE, IMMITTEREVE QVID QVO EA VIA, ITERVE DETERIVS SIT, VETO FIAT.

III. QVOD IN VIA PVBLICA ITINEREVE PVBLICO FACTVM IMMISSVMVE HABES, QVO EA VIA, IDVE ITER DETERIVS SIT, FIAT, RESTITVAS.

*L. 1. D. eod.* IV. QVOMINVS ILLI VIA PVBLICA, ITINEREVE PVBLICO IRE AGERE LICEAT, VIM FIERI VETO.

## *De loco publico fruendo. Tit. 9.*

*L. 1. D. eod.* I. QVOMINVS LOCO PVBLICO, QVEM IS CVI LOCANDI IVS FVERIT, FRVENDVM ALICVI LOCAVIT, EI QVI CONDVXIT, SOCIOVE EIVS, E LEGE LOCATIONIS FRVI LICEAT, VIM FIERI VETO.

*De via publica & itinere publico reficiendo. Tit. 11.*

I. QVOMINVS ILLI VIAM PVBLICAM, ITERVE PVBLICVM APERIRE, REFICERE LICEAT, DVM NE EA VIA IDVE ITER DETERIVS FIAT, VIM FIERI VETO. *L. 1. D. eod.*

*De fluminibus, ne quid in flumine publico ripáve eius fiat, quo peius nauigetur. Tit. 12.*

I. NE QVID IN FLVMINE PVBLICO, RIPAVE EIVS FACIAS, NE QVID IN FLVMINE PVPBLICO, NEVE IN RIPA EIVS IMMITTAS, QVO STATIO ITERVE NAVIGIO DETERIVS SIT, FIAT. *L. 1. D. eod.*

II. NE QVID IN MARI INVE LITORE QVO PORTVS STATIO, ITERVE NAVIGIO DETERIVS ſit, FIAT. *L. 1. §. 12. D. e.*

III. QVOD IN FLVMINE PVBLICO, RIPAVE EIVS FIAT, SI QVID IN FLVMEN RIPAMVE EIVS FACTVM HABES VEL IMMISSVM HABES, QVO STATIO ITERVE NAVIGII DETERIVS SIT, FIAT, RESTITVAS.

*Nequid in flumine publico ripáve eius fiat quo aliter aqua fluat quàm priore æſtate fluxerat. Tit. 13.*

I. IN FLVMINE PVBLICO, INVE RIPA *L. 1. D. eod.*

EIVS FACERE, AVT IN ID FLVMEN RIPAMVE EIVS IMMITTERE, QVO ALITER AQVA FLVAT QVAM PRIORE ÆSTATE FLVXIT, VETO.

II. QVOD IN FLVMINE PVBLICO, RIPAVE EIVS FACTVM: SIVE QVID IN FLVMEN PVBLICVM, RIPAMVE EIVS IMMISSVM HABES: SI OB ID ALITER AQVA FLVAT, ATQVE PRIORE ÆSTATE RESTITVAS.

## *Vt in flumine publico nauigare liceat.* *Tit. 14.*

*L. 1. D. eod.* I. QVOMINVS ILLI IN FLVMINE PVBLICO NAVEM, RATEM AGERE, QVOVE MINVS PER RIPAM ONERARE, EXONERARE LICEAT: VIM FIERI VETO.

II. ITEM VT PER LACVM, FOSSAM, STAGNVM PVBLICVM, NAVIGARE LICEAT, INTERDICAM.

## *De ripa munienda. Tit. 15.*

*L. 1. D. eod.* I. QVOMINVS ILLI IN FLVMINE PVBLICO RIPAVE EIVS OPVS FACERE, RIPÆ, AGRIVE QVI CIRCA RIPAM EST TVENDI CAVSA LICEAT, DVM NE OB ID NAVIGATIO DETERIOR FIAT: SI TIBI DAMNI INFECTI IN ANNOS DECEM BONI VIRI ARBITRATV VEL CAVTVM, VEL SATISDATVM EST, AVT PER ILLVM NON STAT QVOMINVS BONI VIRI AR-

BITRATV CAVEATVR, VEL SATISDETVR, VIM FIERI VETO.

## De vi & vi armata. Tit. 16.

I. VNDE TV ILLVM VI DEIECISTI, AVT FAMILIA TVA DEIECIT: DE EO QVÆQVE ILLE TVNC IBI HABVIT, TANTVMMODO INTRA ANNVM: POST ANNVM, DE EO QVOD AD EVM QVI VI DEIECIT, PERVENERIT, IVDICIVM DABO. *L. 1. D. eod.*

II. VNDE TV AVT FAMILIA TVA AVT PROCVRATOR TVVS HOMINIBVS COACTIS ARMATISQVE EVM DEIECISTI, EO RESTITVAS. *Cic. in orat. pro Cæcin. Vlpian. in l. 2. D. eod.*

## Vti poſſidetis. Tit. 17.

I. VTI EAS ÆDES, QVIBVS DE AGITVR, NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO ALTER AB ALTERO POSSIDETIS, QVOMINVS ITA POSSIDEATIS, VIM FIERI VETO. DE CLOACIS HOC INTERDICTVM NON DABO: NEQVE PLVRIS QVAM QVANTI RES ERIT, INTRA ANNVM QVO PRIMVM EXPERIVNDI POTESTAS FVERIT, AGERE PERMITTAM. *L. 1. D. eod. Feſt⁹ in verb. poſſeſſ.*

## De ſuperficiebus. Tit. 18.

I. VTI EX LEGE LOCATIONIS SIVE CONDVCTIONIS SVPERFICIE, QVA DE AGITVR, NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO ALTERI AB ALTERO FRVEMINI: *L. 1. D. eod.*

QVOMINVS ITA FRVAMINI, VIM FIERI VETO: SI QVA ALIA ACTIO DE SVPERFICIE POSTVLABITVR, CAVSA COGNITA DABO.

## *De itinere actúque priuato. Tit. 19.*

*L. 1. D. eod.* I. QVO ITINERE ACTVQVE PRIVATO QVO DE AGITVR, VEL VIA HOC ANNO NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO AB ILLO VSVS ES: QVOMINVS ITA VTARIS, VIM FIERI VETO.

II. QVO ITINERE ACTVQVE HOC ANNO NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO AB ALIO VSVS ES: QVOMINVS ID ITER ACTVMQVE, VT TIBI IVS ESSET, REFICIAS, VIM FIERI VETO.

III. QVI HOC INTERDICTO VTI VOLET, IS ADVERSARIO DAMNI INFECTI QVOD PER EIVS VITIVM DATVM SIT, CAVEAT.

## *De aqua quotidiana & æſtiua. Tit. 20.*

*L. 1. D. eod.* I. VTI HOC ANNO AQVAM, QVA DE AGITVR, NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO AB ILLO DVXISTI: QVOMINVS ITA DVCAS, VIM FIERI VETO.

II. VTI PRIORE ÆSTATE AQVAM QVA DE AGITVR, NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO AB ILLO DVXISTI: QVOMINVS ITA DVCAS, VIM FIERI VETO.

III. INTER HÆREDES, EMPTORES, ET BONORVM POSSESSORES INTER DICAM.

IV. QVO EX CASTELLO ILLI AQVAM DVCERE AB EO CVI EIVS REI IVS FVIT, PERMISSVM EST: QVOMINVS ITA VTI PERMISSVM EST, DVCAT, VIM FIERI VETO.

V. QVANDOQVE DE OPERE FACIENDO ERIT INTERDICTVM, DAMNI INFECTI CAVERI IVBEBO.

## *De Riuis. Tit. 21.*

I. RIVOS, SPECVS, SEPTA REFICERE, PVRGARE, AQVÆ DVCENDÆ CAVSA, QVOMINVS LICEAT ILLI: DVM NE ALITER AQVAM DVCAT QVAM VTI PRIORE ÆSTATE NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO, A TE DVXIT, VIM FIERI VETO. *L. 1. D. eod.*

## *De fonte. Tit. 22.*

I. VTI DE EO FONTE, QVO DE AGITVR, HOC ANNO AQVA NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO AB ILLO VSVS ES: QVOMINVS ITA EA VTARIS, VIM FIERI VETO. DE LACV, PISCINA, PVTEO, ITEM INTERDICAM. *L. 1. D. eod.*

II. QVOMINVS FONTEM, QVO DE AGITVR, PVRGES, REFICIAS, VT AQVAM COERCERE, VTIQVE EA POSSIS: DVM NE ALITER VTARIS, VTQVE VTI HOC ANNO NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO AB ILLO VSVS ES: VIM FIERI VETO.

## *De cloacis. Tit. 23.*

L. 1. D. eod. I. QVOMINVS ILLI CLOACAM QVÆ EX ÆDIBVS EIVS IN TVAS PERTINET, QVA DE AGITVR, PVRGARE, REFICERE LICEAT, VIM FIERI VETO. DAMNI INFECTI QVOD OPERIS VITIO SIT FACTVM, CAVERI IVBEBO.

II. QVOD IN CLOACA PVBLICA FACTVM SIVE IMMISSVM HABES, QVO VSVS EIVS DETERIOR SIT, FIAT, RESTITVAS.

III. ITEM NE QVID FIAT IMMITTATVRVE, INTERDICAM.

## *Quod vi aut clam. Tit. 24.*

L. 1. D. eod. I. QVOD VI AVT CLAM FACTVM EST: QVA DE RE AGITVR, ID, CVM EXPERIVNDI POTESTAS EST, RESTITVAS.

## *De remiſsionibus. Tit. 25.*

L. 1. D. eod. I. QVOD IVS SIT ILLI PROHIBERE, NE SE INVITO FIAT IN EO, NVNTIATIO TENEAT. CÆTERVM NVNTIATIONEM MISSAM FACIO.

## *De precario. Tit. 26.*

L. 1. D. eod. I. QVOD PRECARIO AB ILLO HABES, AVT DOLO MALO FECISTI, VT DESINERES HABERE, QVA DE RE AGITVR, ID ILLI RESTITVAS.

*De arbo-*

## *De arboribus cedendis. Tit. 27.*

I. QVÆ ARBOR EX ÆDIBVS TVIS IN ÆDES ILLIVS IMPENDET, SI PER TE STAT, QVOMINVS EAM ADIMAS, TVNC QVOMINVS EAM ILLI ARBOREM ADIMERE, SIBIQVE HABERE LICEAT, VIM FIERI VETO. *L. 1. D. eod.*

II. QVÆ ARBOR EX AGRO TVO IN AGRVM ILLIVS IMPENDET, SI PER TE STAT, QVOMINVS PEDES QVINDECIM A TERRA EAM ALTIVS COERCEAS; TVNC QVOMINVS ILLI ITA COERCERE, LIGNAQVE SIBI HABERE LICEAT, VIM FIERI VETO.

## *De Glande legenda. Tit. 28.*

I. GLANDEM QVÆ EX ILLIVS AGRO IN TVVM CADAT, QVOMINVS ILLI TERTIO QVOQVE DIE LEGERE AVFERRE LICEAT, VIM FIERI VETO. *L. 1. D. eod.*

## *De libero homine exhibendo. Tit. 29.*

I. QVEM LIBERVM DOLO MALO RETINES, EXHIBEAS. *L. 1. D. eod.*

## *De liberis exhibēdis item deducēdis. T. 30.*

I. QVI QVÆVE IN POTESTATE LVCII TITII EST, SI IS EAVE APVD TE EST, DOLOVE MALO TVO FACTVM EST, QVOMINVS APVD TE ESSET, ITA EVM EAMVE EXHIBEAS. *L. 1. D. eod. l. 63. D. de verb. signif.*

L.3. D. eod. II. SI LVCIVS TITIVS IN POTESTATE LVCII TITII EST: QVOMINVS EVM LVCIO TITIO DEDVCERE LICEAT, VIM FIERI VETO.

## *Vtrubi. Tit. 31.*

L. 1. D. eod. I. VTRVBI HIC HOMO QVO DE AGITVR, MAIORE PARTE HVIVSCE ANNI FVIT, QVOMINVS IS EVM DVCAT, VIM FIERI VETO.

## *De migrando. Tit. 32.*

L. 1. D. eod. I. SI IS HOMO, QVO DE AGITVR, NON EST EX HIS REBVS DE QVIBVS INTER TE ET ACTOREM CONVENIT, VT QVÆ IN EAM HABITATIONEM, QVA DE AGITVR, INTRODVCTA, IMPORTATA, IBI NATA, FACTAVE ESSENT, EA PIGNORI TIBI PRO MERCEDE EIVS HABITATIONIS ESSENT: SIVE EX HIS REBVS ESSET, EA MERCES TIBI SOLVTA, EOVE NOMINE SATISFACTVM EST, AVT PER TE STAT QVOMINVS SOLVATVR, ITA QVOMINVS EI QVI PIGNORIS NOMINE EVM INDVXIT, INDE ABDVCERE LICEAT, VIM FIERI VETO.

## *De Saluiano interdicto. Tit. 33.*

L. 1. & 2. D. eod. l. 2. §. vlt. D. de interdict. I. Quod de his rebus poſſides de quibus inter dominum & colonum conuenit, vt quæ in fundum quo de agitur inuecta, ibi nata factáve eſſent ea pignori domino pro mercede eius fundi eſſent, id domino reſtituas.

## EX LIBRO XLVI°.

### *De ſolutionibus & liberationibus. Tit. 3.*

I. Si debitor offerat pecuniã quæ peteretur: creditor nolit accipere, ei creditori actiões denegabo. *L. 30. D. eod.*

### *Rẽ pupilli vel adoleſcẽtis ſaluã fore. T. 9.*

I. Rem pupilli vel adoleſcentis ſaluam fore, tutorem vel curatorem ſatiſdare iubebo. *Ex tituli inſcriptione ex l. 5. D. de legit. tut & ex. titul. inſtit. de diuiſ. ſtipul.*

### *Iudicatum ſolui. Tit. 7.*

I. Iudicatum ſolui procuratorem, tutorem & curatorem cauſa cognita ſatisdare iubebo. *§. curatores inſtit. Tit. de ſatiſdat. l. 5. D. de legit. tutor.*

### *Ratam rem haberi. Tit. 8.*

I. Ratam rem haberi ab eo ad quem ea res pertinet, ſi quis ſtipulanti promiſerit: iſque poſteà ratum non habuerit, in eum qui promiſit ex ea ſtipulatione actionem dabo. *Ex inſcript.*

## EX LIBRO XLVII°.

### *De furtis. Tit. 2.*

I. Qui furtũ feciſſe aut cuius ope conſilio furtum factum eſſe dicetur: QVANTI EAM REM PARET ESSE quæ furto ablata eſſe dicetur. Eius in quadruplum ſi furtum manifeſtum fuerit aut ſi nec manifeſtum, in duplum, aduerſus eum iudicium dabo. *L. in furti 50. et l. ſi quis vxori 52. D. e. l. hec verba 193. & l. inter hæc verba 170. D. de verb. ſignif.*

II. Si apud aliquẽ teſtibus præſentibus furtiua res quæſita & concepta ſit; aduerſus eum in triplum actionem dabo. *Inſtit. Tit. de obligat. quæ ex delict. §.*

*furtorum & ſeq. Gellius lib. xi. cap. xviij.*

III. Si quis rem furtiuam alteri obtulerit ea mente vt apud illum potiùs quàm apud ſe conciperetur: eaque res apud eum cui oblata eſt cõcepta fuerit: ei cui oblata eſt aduerſus eum qui obtuliſſe dicetur in triplum actionem dabo.

IV. Si quis furtum teſtibus præſentibus quærere volentem prohibuerit, in eum actionem dabo.

## *Si is qui teſtamento liber eſſe iuſſus erit. Tit. 4.*

*Ex inſcript. & ex l. 1. in princ. & §. 3. §. 8. D. eod.*

I. Si is qui teſtamento liber eſſe iuſſus erit poſt mortem domini ante aditam hereditatem ſubripuiſſe aut corrupiſſe quid dicetur dolo malo, quo minus ex his bonis ad heredem aliquid perueniret, aduerſus eum intra annum quo primum agendi poteſtas erit in duplum actionem dabo.

## *Furti aduerſus nautas. Tit. 5.*

*L. 1. D. eod. l. vlt. & penult. D. nau. caupon.*

I. In eos qui naues, cauponas, ſtabula exercebunt, ſi quid à quoque eorum, quóſve ibi habebunt, furtum factum eſſe dicetur, ſiue furtum ope conſilio exercitoris factum fuerit, ſiue eorũ cuius, qui nauis nauigandæ, cauponæ aut ſtabuli exercendi cauſa ibidem erunt, in duplum iudicium dabo.

## *Si familia furtum feciſſe dicetur. Tit. 6.*

*Ex inſcrpt. & ex l. 1. & 3. D. eod.*

I. Si familia furtum feceſſe dicetur ignorante domino, ei arbitrium dabo, aut omnes noxios ſeruos noxæ dedere, aut tantum præſtare, quan-

tum ſi vnus liber furtum feciſſet.

## *Arborum furtim cæſarum. Tit. 7.*

I. Si quis arborem furtim cædere, cingere, ſubſecare auſus fuerit in duplum aduerſus eum iudicium dabo: facta prætereà æſtimatione, quáti domini interſit non lædi. L. 5. 7. 8. D. eodem.

## *Vi bonorum raptorum. Tit. 8.*

I. SI CVI DOLO MALO HOMINIBVS COACTIS DAMNI QVID FACTVM ESSE DICETVR, SIVE CVIVS BONA RAPTA ESSE DICENTVR, IN EVM QVI ID FECISSE DICETVR DE VI BONORVM RAPTORVM INTRA ANNVM QVO PRIMVM DE EA RE EXPERIVNDI POTESTAS ERIT, IN QVADRVPLVM: POS ANNVM IN SIMPLVM IVDICIVM DABO. ITEM SI SERVVS FECISSE DICETVR, IN DOMINVM IVDICIVM NOXALE DABO. L. 2. D. eod.

II. CVIVS DOLO MALO IN TVRBA DAMNVM QVID FACTVM ESSE DICETVR, IN EVM IN ANNO QVO PRIMVM DE EA RE EXPERIVNDI POTESTAS FVERIT, IN DVPLVM: POST ANNVM, IN SIMPLVM IVDICIVM DABO. L. 4. D. eod.

## *De incendio ruina naufragio rate naue expugnata. Tit. 9.*

I. IN EVM QVI EX INCENDIO, RVINA, NAVFRAGIO, RATE NAVE EXPVGNATA, L. 1. D. eod.

QVID RAPVISSE, RECEPISSE DOLO MALO, DAMNIVE QVID IN HIS REBVS DEDISSE DICETVR: IN QVADRVPLVM IN ANNO QVO PRIMVM DE EA RE EXPERIVNDI POTESTAS FVERIT; POST ANNVM, IN SIMPLVM IVDICIVM DABO. ITEM IN SERVVM ET IN FAMILIAM IVDICIVM DABO.

## *De iniuriis & famoſis libellis. Tit. 10.*

*L. 7. D. eod. Collat. legis Moſaïc. cum Rom. Tit. de atroc. iniur. §. pœna. iſtit. Tit. eod.*

I. QVI INIVRIARVM AGET, CERTVM DICAT, QVID INIVRIÆ FACTVM SIT; ET TAXATIONEM PONAT NON MINOREM, QVAM QVANTI VADIMONIVM FVERIT.

*L. 11. D. eod.*

II. Aduerſus eum qui iniuriam feciſſe dicetur aut cuius dolo malo factum erit vt cui iniuria fieret, ſi is cui facta eſſe dicetur eam ſtatim in animum reuocauerit, iudicium dabo.

*L. Item apud 15. §. 2. D. eod.*

III. QVI ADVERSVS BONOS MORES CONVICIVM CVI FECISSE, CVIVSVE OPERA FACTVM ESSE DICETVR, QVO ADVERSVS BONOS MORES CONVICIVM FIERET, IN EVM IVDICIVM DABO.

*L. Item apud 15. §. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. D. eod.*

IV. Si quis contra bonos mores fœminam appellauerit, aſſectatúſve fuerit, vel eius comitem abduxerit, in eum iudicium dabo.

*L. 15. §. 20. D. eod.*

V. NE QVID INFAMANDI CAVSA FIAT. SIQVIS ADVERSVS EA FECERIT PROVT QVÆQVE RES ERIT, ANIMADVERTAM.

*L. 15. §. 16. D. eod.*

VI. QVI SERVVM ALIENVM ADVERSVS BONOS MORES VERBERASSE, DEVE EO INIVSSV DOMINI, QVÆSTIONEM HA-

BVISSE DICETVR; IN EVM IVDICIVM DABO. ITEM SI QVID ALIVD FACTVM ESSE DICETVR, CAVSA COGNITA IVDICIVM DABO.

VII. Si ſeruus iniuriam feciſſe dicetur, aduerſus dominum noxalem actionem dabo, ita, vt domino facultas præſtetur, ſeruum ARBITRATV IVDICIS verberandum dare: Aut ſi de eo verberibus ſatis non fiat, noxæ dedere aut litis æſtimationem ſufferre. *L. ſed ſi 17. §. cùm ſeruus & ſeq. D. eod.*

VIII. SI EI QVI IN ALTERIVS POTESTATE ERIT, INIVRIA FACTA ESSE DICETVR: ET NEQVE IS, CVIVS IN POTESTATE EST, PRÆSENS ERIT, NEQVE PROCVRATOR QVISQVAM EXISTAT, QVI EO NOMINE AGAT, CAVSA COGNITA, IPSI QVI INIVRIAM ACCEPISSE DICETVR, IVDICIVM DABO. *L. ſed ſi 17. §. ait prætor. D. eod.*

## *De ſepulchro violato. Tit. 12.*

I. CVIVS DOLO MALO SEPVLCRVM VIOLATVM ESSE DICETVR, IN EVM IN FACTVM IVDICIVM DABO: VT EI AD QVEM PERTINEAT, QVANTI OB EAM REM ÆQVVM VIDEBITVR, CONDEMNETVR. SI NEMO ERIT, AD QVEM PERTINEAT, SIVE AGERE NOLET: QVICVNQVE AGERE VOLET, EI CENTVM AVREORVM ACTIONEM DABO. SI PLVRES AGERE VOLENT, CVIVS IVSTISSIMA CAVSA ESSE VIDEBITVR, EI AGENDI POTESTATEM FACIAM. *L. 3. D. eod.*

II. SI QVIS IN SEPVLCHRO DOLO MALO HABITAVERIT, ÆDIFICIVMVE ALIVD, QVAM QVOD SEPVLCHRI CAVSA FACTVM SIT, HABVERIT; IN EVM (SI QVIS EO NOMINE AGERE VOLET) DVCENTORVM AVREORVM IVDICIVM DABO.

## *De concuſsione. Tit. 13.*

I. Si ſimulato Prætoris aut Præſidis iuſſu cōcuſſio facta eſſe dicetur, ablata eiuſmodi terrore reſtitui iubebo. Et in eum qui abſtuliſſe dicetur, vti ea res erit animaduertam. *L. 1. D. eod.*

## EX LIBRO XLIX°.

## *De iure fiſci. Tit. 14.*

I. Bona quæ ſoluendo non ſunt, ita demum venire iubebo, ſi ex his fiſco adquiri nihil poſſit.

## EX LIBRO L°.

## *Ad municipalem & de incolis. Tit. 1.*

*L. 1. §. 1. D. eodem.* I. Vbi municipes domicilium habere dicentur, vbi vnumquemque eorum conueniri ac publicis muneribus fungi iubebo.

II. Incolam & his magiſtratibus parere apud quos incola eſt & illis apud quos ciuis eſſe dicetur, atque in vtroque loco publicis muneribus defungi iubebo. *L. 1. l. eius qui 27. D. eod.*

## *De muneribus & honoribus. Tit. 4.*

*L. incola 29. D. eod.* I. Honores gradatim deferri, certoque ordine, iubebo.

# VETERVM EDICTORVM

TAM VRBANORVM QVAM PROVINCIALIVM FRAGMENTA QVÆ APVD ALIOS AVTHORES LEGVNTVR.

## *De iure dicundo.*

SI PERPERAM IVDICARIT SENATVS COGNOSCAM, ET VBI COGNOVERO ANIMADVERTAM.

*Cic. lib. 2. in verr.*

## *De ferijs.*

DIE NONI POPVLO ROMANO, QVIRITIBVS COMPITALIA ERVNT, QVANDO CONCEPTA FVERINT, NEFAS.

*Gellius lib. 10. cap. 24. Macrob. lib. 1. cap. 4. & cap. 16. Varr. lib. 5. D. ling. Lat.*

## *Ex quibus cauſis maiores in integrum reſtituantur.*

Si feriæ extra ordinem ſint indictæ, ob res puta proſperè geſtas vel in honorem principis, & propterea magiſtratus ius non dixerit, CAIVS CASSIVS NOMINATIM EDICEBAT RESTITVTVRVM SE: quia per prætorem videbatur factum.

*Vlpian in l. ſed etſi 26. §. ſi feriæ. D. ex quib. cauſ. maior. in int. reſtit.*

## *De iureiurando.*

*Gellius lib. 10. cap. 15.*

SACERDOTEM VESTALEM, ET FLAMINEM DIALEM IN OMNI MEA IVRISDICTIONE IVRARE NON COGAM.

## *Caput Ædilitij edicti.*

*Gellius lib. 4. cap. 2.*

TITVLVS SERVORVM SINGVLORVM VTEI SCRIPTVS SIT, COERATO. ITA VTEI INTELLEGI RECTE POSSIT, QVID MORBI VITIIVE QVOIQVE SIT, QVIS FVGITIVVS ERROVE SIT, NOXAVE SOLVTVS NON SIT.

## *De acquirenda vel omittenda hereditate.*

*Pompon. in l. vlt. D. de acquir. vel omitt. hered.*

*L. 26. § ſi ſerue D. ex quibus cauſ. maior.*

Ariſto in decretis Frontanianis ita refert: cum duæ filiæ patri neceſſariæ heredes extitiſſent; altera ſe paterna abſtinuerat hereditate, altera bona paterna vindicaret, totúmque onus ſuſcipere parata erat: SANCTVM CASSIVM PRÆTOREM CAVSA COGNITA ACTIONES HEREDITARIAS VTILES DATVRVM RECTE POLLICITVM EI QVÆ AD HEREDITATEM PATRIS ACCESSERAT: DENEGATVRVMQVE EI QVÆ SE ABSTINVERAT.

## *De legitimis hereditatibus.*

*Cicero lib. 2. in verr.*

CVM INTELLIGAM LEGEM VOCONIAM.

CVPIDITATEM HOMINVM ME OBVIAM IRE.

QVI AB AVLO POSTVMIO, Q. FVLVIO CENSORIBVS POSTVE EA FECIT, FECERIT,

SI QVIS HEREDEM FECIT, FECERIT: NEC PETITIONEM NEC POSSESSIONEM DABO.

## *De bonorum poſſeßionibus.*

SI DE HEREDITATE AMBIGITVR ET TABVLÆ TESTAMENTI OBSIGNATÆ NON MINVS MVLTIS SIGNIS QVAM E LEGE OPORTEAT AD ME PROFERENTVR, SECVNDVM TABVLAS TESTAMENTI POTISSIMVM HEREDITATEM DABO. *Cic. lib. 3. in verr.*

SI TABVLÆ TESTAMENTI NON PROFERENTVR ei qui ſe heredem eſſe dicet, hereditatem dabo. *Idem eodem.*

Si tabulæ teſtamenti non proferentur, tũ vti proximum quemque potiſſimum heredem eſſe oporteret, ſi is inteſtato mortuus eſſet, ita ſecundum eum bonorum poſſeſſionem dabo. *Idem eodem.*

SI DE HEREDITATE AMBIGITVR ET POSSESSOR SPONSIONEM NON FACIET. *Idem lib. 2. in Verr.*

Sic mulier IN EDICTO QVOD DE ALTERVTRO EST, cum ſuam explanauerit optionem ne pœnitentia poſſit ad aliud tranſire, etiam ſatiſdatione cogetur præcauere niſi ſi ætatis iuuetur auxilio. *Imperat. Theodoſius in l. ſi quis agere 7. C. th. de teſtam. & codic.*

Sciendum itaque eſt EDICTVM PRÆTORIS QVOD DE ALTERVTRO introductum eſt in exſtipulatu actione ceſſare, ita vt vxor & à marito relucta recipiat, & dotem conſequatur. *Iuſtinian. in l. vnic. § ſcie. dum C. de rei vxor. action.*

## *Quibus ex cauſis in poſſeßionem eatur.*

QVI FRAVDATIONIS CAVSA LATITARIT. *Cic. in orat. pro cecin.*

CVI HÆRES NON EXTABIT.

QVI EXVLII CAVSA SOLVM VERTERIT.

QVI EX EDICTO MEO IN POSSESSIONEM VENERINT, EOS ITA VIDETVR IN POSSESSIONE ESSE OPORTERE. QVOD IBIDEM RECTE CVSTODIRE POTERVNT, ID IBIDEM CVSTODIANT. QVOD NON POTERVNT ID AVFERRE ET ABDVCERE LICEBIT. DOMINVM INVITVM DETRVDERE NON PLACET.

## *De fluminibus.*

*Gellius lib. 11. cap. 17.* QVI FLVMINA RETANDA PVBLICE REDEMPTA HABENT, SI QVIS EORVM AD ME EDVCTVS FVERIT, QVI DICATVR, QVOD EVM EX LEGE LOCATIONIS FACERE OPORTVERIT, NON FECISSE, IVDICIVM DABO.

---

## EX VARIIS ET INCERTIS TITVLIS.

*Idem Tullius lib. 4. in Verr.* Interea dies aduenit quo die ſeſe ex inſtituto & lege Rupilia dicas ſortiturum, Syracuſis edixerat.

*Idem lib. 6. epiſtol. ad Attic. epiſt. 1. de edicto Proconſulari Cilicienſi.* De Bibuli Edicto nihil moui præter illam exceptionem de qua tu ad me ſcripſeras, minus graui præiudicio in ordinem noſtrum. Ego tamen habeo ἰσοδυναμοῦσαν, ſed tectiorem ex Qu. Mucij P. F. Edicto Aſiatico, EXTRA QVAM SI ITA NEGOTIVM GESTVM EST, VT EO STARI NON OPORTEAT, EX FIDE BONA. Multáque ſum ſecutus Scæuolæ: in ijs illud, in quo ſibi libertatem cenſent Græci da-

tam, VT GRÆCI INTER SE DISCEPTENT SVIS LEGIBVS. Breue autem edictum eſt propter hanc meam διαίρεσιν: quod duobus generibus edicendum putaui: quorum vnum eſt Prouinciale, in quo eſt de rationibus ciuitatum: de ære alieno: de vſura:de Syngraphis: in eodē omnia, de Publicanis. Alterū quod ſine edicto ſatis cōmodè tranſigi nō poteſt, de Hereditatum poſſeſſionibus: debonis poſſidendis: Magiſtris faciundis, vendendis. Quæ ex edicto & poſtulari & fieri ſolent. Tertium de reliquo iure dicundo ἄγραφον reliqui. Dixi, ME DE EO GENERE MEA DECRETA AD EDICTA VRBANA ACCOMMODATVRVM. *Mox ſequitur.* Diem ſtatui ſatis laxam, quam ante ſi ſoluerint, dico ME CENTESIMAS DVCTVRVM, SI NON SOLVERINT, EX PACTIONE.

Interim cùm ego in edicto tralatitio, CENTESIMAS ME OBSERVATVRVM, haberem cum anatociſmi anniuerſario. *Idem epiſtol. vlt. lib. 5.*

Quid enim reprehendi poteſt niſi quod addis viſum eſſe quibuſdam edictum meum, quaſi conſultò ad iſtas legationes impediendas eſſe accommodatum? Iam non tam mihi videntur iniuriam facere ij qui hæc diſputant, quàm ſi cuius aures ad hanc diſputationem patent. Romæ compoſui Edictum, nihil addidi, niſi quòd publicani me rogarent cum Samum ad me veniſſent, vt de tuo Edicto totidem verbis transferrem in meum. Diligentiſſimè ſcriptum caput eſt quod pertinet ad minuendos ſumptus ciuitatū. Quo in capite ſunt quædā noua, ſalutaria ciuitatibus *Idem epiſtol. 8. lib. 3. ad famil.*

quibus ego magnoperè delector: hoc verò, ex quo ſuſpicio nata eſt, me exquiſiuiſſe aliquid in quo te offenderem, tralatitium eſt. Neque enim tam eram deſipiens vt priuatæ rei cauſa legari putarem, qui & tibi non priuato & pro te non priuata ſed publica; non in priuato ſed publico orbis terræ conſilio, id eſt in ſenatu gratias agerēt, mittebantur. Neque cùm edixi, NE QVIS INIVSSV MEO PROFICISCERETVR, excluſi eos qui me in caſtra & qui trans Taurū perſequi non poſſent.

IVRIS QVÆDAM NOTÆ APVD PROBVM ET MAGNONEM QVÆ EX EDICTIS ESSE VIDENTVR.

HEREDITATIS BONORVMVE POSSESSIO.
QVOD EIVS REI FACTVM ESSE DICETVR.
VETERI POSSESSORI REDDITVM.
ARBITRIVM LITI ÆSTIMANDÆ.
CONVICTVS ESSE DICETVR.
IVRIS DICVNDI CAVSA.
NON CALVMNIÆ CAVSA.
DOLO MALO FRAVDISVE CAVSA.
FRAVDATIONIS CAVSA LATITARE.
OPERÆ, DONVM, MVNVS.
QVA DE RE.
CAVSA COGNITA.
QVOD RECTE FACTVM ESSE VIDEBITVR.

FINIS.

# GVL. RANCHINI
## IN MONSPELIENSI
### SCHOLA ANTECESSORIS,

*Et in ſuprema ſubſidiorum curia Occitana fiſci Aduocati.*

# VARIARVM LECTIONVM
## LIBRI TRES.




PARISIIS,
IN OFFICINA PLANTINIANA,
Apud HADRIANVM PERIER,
via Iacobæa.

M. D. XCVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# HENRICO DVCI MOMMORANCIO, FRANCIÆ PARI, FRANCIAE CONNESTABVLO, PROVINCIAE GOTTICAE PRAEFECTO: NOBILISSIMO, STRENVISSIMO, PRVDENTISSIMO,

## GVLIELMVS RANCHINVS.

PROPENSI SVI ATQVE DEVOTI ANIMI TESTIMONIVM HOC LITERARIO MONVMENTO DARE VOLVIT.

DVCTVS AMORE PATRIÆ QVAM AB EO AGNOSCIT CONSERVATAM IN MEDIIS CIVILIVM BELLORVM FLVCTIBVS, PER ANNOS PLVS MINVS TRIGINTA.

DVM VICINÆ PROVINCIÆ CONFLAGRABANT MISERE VEXATÆ:

DVM TOTVM HOC GALLIÆ REGNVM PROPRIIS ET ALIENIS ARMIS IN SE CRVDELITER SÆVIENS CRVENTAM DE SE VINDICTAM SVMEBAT:

LÆTVS ETIAM OB PARTAM EI TVTANDI REGNI GLORIAM, QVEM AB OCCITANA PROVINCIA AD FVLCIENDVM

EIVS STATVM EVOCATVM FVISSE GAVDET REGNI CAVSA.

DOLET PATRIÆ SVÆ CAVSA, QVAM SCIT MOESTAM ET SQVALLENTEM VIVERE EIVS DESIDERIO:

HVIC ALTERI GALLORVM HERCVLI, A PRIMO FRANCORVM CHRISTIANO ORIVNDO.

MILITIÆ FORTISSIMO, DOMI PRVDENTISSIMO, BONIS SOLATIO, MALIS SVPPLICIO, HOSTIBVS TERRORI, FRANCIS PRÆSIDIO.

TVM OB PVBLICAM REGNI VTILITATEM, CVI, HVNC HEROEM, QVASI ALTERVM ATHLANTEM, CVIVS HVMERIS INSIDEAT, IMMORTALEM HABERE EXPEDIT.

TVM ETIAM OB SVMMA BENEFICIA, QVÆ SIBI, QVÆ FRATRIBVS, QVÆ TOTI FAMILIÆ LIBERALI MANV AB EO TRIBVTA AGNOSCIT.

IDEM GVLIELMVS RANCHINVS

OMNIA FAVSTA, OMNIA LÆTA, OMNIA PROSPERA DEVOTISSIMO ANIMO PRECATVR.

HVNCQVE EXIGVVM LIBELLVM, EXIGVI QVIDEM INGENII, SED NON EXIGVI IN EVM AFFECTVS ET VOLVNTATIS INDICIVM, DICAT CONSECRATQVE.

## LECTORI S.

QVæ inter legendum à me obſeruata fuerunt, ab alijs non obſeruata, aut perperàm accepta in his Variarũ Lectionũ libris cumulaui: alia propediem daturus, ſi iſthæc non ingrata. Vera hæc ſcribẽdi ratio hac ætate, in qua librorũ multitudine laboramus. Valeant illi qui ob rem aliquã à ſe ingenioſè animaduerſam, integros edũt tractatus, rei totæ manũ admouentes, vt actum agant. Ego veterum tantùm ædificiorum curam ſuſcipio, vt ea ſarta tecta habeam: noua alijs relinquo. Quid autem in ijs aut refectum, aut reſtitutum à me fuerit, hinc patebit. Ea etiam tango, quæ ab alijs parum fœliciter curata, veritatis ſtudio non vellicandi animo: maximè cùm quoſdam ex ijs, in quos incurro, quaſi Semones venerer: præſertim verò Diuinum illum Cujacium, cui maximam partem ſtudiorum meorum debeo, quíque mihi perpetuò

imperator futurus, ego illi mediaſtinus, vt ait ille. Sed interim, quid vetat verum dicere, modò ſalua fama, & illibato eorum honore dicatur? Quædam miſcui è foro & iudiciorum moribus petita. Nec mirum cùm eò reſpiciant ſtudiorum meorum conatus. Veterum ego iuriſprudentiam colo. Quæcunque ad eius ornatum pertinent, ambitiosè conquiro. Priſcorum ſcriptorum cuiuſcunque generis monumenta eius rei cauſa euoluo, iiſque velut commentatijs vtor. At nouam non reſpuo faſtidiosè, eam quidem moribus antiquis ſtare cupio: qualem verò nobis peperit barbaries, talem amplector. Et in re noua nouos ſcriptores conſulo, eóſque non quaſi authores, ſed vt teſtes aduoco. Sunt, ſcio, quibus ea tantùm curæ, quæ iam olim cùm Euandri matre multis abhinc ſæculis ſepulta fuerunt. Sed ij tollunt vſum de rebus: vetera enim pereunt, niſi cum nouis conferas, niſi eorum ope noua emendes, ea ſaltem quæ corrigi poſſunt: nam omnia noto. Sunt enim multa in quib⁹ valere debet lex illa, Malvm bene positvm ne moveto. Id quidē ſummis votis expetere licet, vt antiqua iuriſprudentia proprium recipiat ſolium, vnde eam barbarorum vi deiectam eſſe dolemus. Sed

quando tot præſtantes viri, Itali, Galli, Germani, Hiſpani, quaſi coïtione atque agmine facto, plurib⁹ abhinc annis in iſtiuſmodi expeditione fruſtrà ſudarunt, ſatis ſit nobis ab iniurijs & contumelijs eam vindicare: de priſtina dignitate ceſſet concertatio, cùm alicuius principis aut imperatoris ope indigeat res illa. Ad extremum illud addo: vt feras æquo animo diuerſa miſcuiſſe me in hoc ſcripto: Quaſi plures eſſent mihi conuiuæ, diuerſas apponere dapes cõſilium fuit, vt quod faſtidiret vnus, appeteret alter. Sunt, vt vides, quæ ex bonis authoribus deprompta: ſed ea ſcito à me fuiſſe animaduerſa dum hinc atque iſthinc libo, quæ ad ius pertinent. Sunt quæ ex Iuſtinianeo iure, quod mihi pracipuè curæ & ſollicitudini. Sunt etiam quæ ex nouo, atque ex medio vſu, ad quem cætera omnia referre ſoleo. Modò placeant tibi ex iſtis quædam, habebo quod volo. Nam vt placeant omnia, non poſtulo. Vale.

# Capitum quæ in his tribus *Variarum Lectionum* libris continentur,

## ELENCHVS.

## PRIMI LIBRI.


CAP. I. *Feſti Pompei locus de ſucceſſione filij adoptiui explicatus & emendatus. pag. 1.*

CAP. II. *Emendantur & explicantur quædam apud Senecam patrem. pag. 6.*

CAP. III. *Loci quidam ex Gellio reſtituti & explicati. pag. 8.*

CAP. IIII. *Alij loci apud Gellium reſtituti. pag. 11.*

CAP. V. *Gellius rurſus emendatus & explicatus. pag. 14.*

CAP. VI. *Seneca Philoſophus correctus & explicatus: & lex tertia, C. de Iudæis. pag. 17.*

CAP. VII. *Suetonius explicatus, Torrentij interpretatione reiecta. pag. 19.*

CAP. VIII. *De iudicio Horatiano: De prouocatione à regibus & Dictatoribus Romanis. pag. 21.*

CAP. IX. *An à pari magiſtratu ad parem eſſet olim prouocatio. pag. 25.*

CAP. X. *Pignora cedere, Suetonius emendatus. pag. 28.*

CAP. XI. *Sententiæ quædam ſimiles, quæ apud iuriſconſultos*

riſconſultos & alios authores leguntur. pag. 29.
CAP. XII. Dubitatio de Terentij loco. pag. 32.
CAP. XIII. Nonius emendatus in multis locis. pa. 33.
CAP. XIIII. Vterque Plinius emendatus, & Latinus Pacatus in Panegyrico. pag. 36.
CAP. XV Qui ſint eius Franciæ hiſtoriæ authores, quæ Aimoini nomine circunfertur. pag. 38.
CAP. XVI. De ſalario Præſidibus prouinciarum conſtituto. pag. 42.

## SECVNDI LIBRI.

CAP. I. An dos conſtituta filiæ naturali à patre naturali, mortua filia ſine liberis ad patrem reuerti debeat, an potiùs mariti lucro cedere. pag. 45.
CAP. II. An hodie in Gallia omnes contractus in ſcriptis fieri debeant. pag 54.
CAP. III. Quàm malè obſeruetur ius ciuile in Gallia, exemplis aliquot comprobatur. pag. 59.
CAP. IIII. An filius vel filia inuiti ad nuptias adigi poßint parentum imperio. pag. 72.
CAP. V. An teſtamentum perfectum per poſterius imperfectum tollatur. pag. 75.
CAP. VI. De ſuppoſitione perſonarum in teſtamentis condendis. pag. 78.
CAP. VII. De lege Cincia, & de donationum inſinuationibus. pag. 80.
CAP. VIII. Ad legem. Ait Prætor. §. reſtitutus. & §. quæſitum. D. De minorib. 25. annis. pag. 83.

CAP. IX. *An teſtamentum in ſcriptis imperfectum valeat vt teſtamentum nuncupatiuum.* pag. 85.

## TERTII LIBRI.

CAP. I. *Defenſa legata lectio in l. cum tabulis. §. quoniam. D. De his quæ vt indignis aufer. & D. Cuiacij emendatio improbata.* pag. 1.

CAP. II. *Diuerſa legum capita reſtituta in titulo Digeſtorum, de negotiis geſtis.* pag. 4.

CAP. III. *Nihil mutandum in l. ſi Stichum. §. aditio D. de ſolutionibus.* pag. 9.

CAP. IIII. *An ius publicum originem ducat à iure gentium: &, de diuiſione iuris priuati ab Vlpiano & Iuſtiniano traditi.* pag. 12.

CAP. V. *De condictione indebiti per errorem ſoluti, & de iuris & facti ignorantia.* pag. 15.

CAP. VI *An filius heres inſtitutus querelam inofficioſi teſtamenti mouere poſſit iure veteri.* pag. 18.

CAP. VII. *An heres inſtitutus, & fideicommiſſi onere grauatus poſſit teſtamentum inofficioſum dicere.* pag. 22.

CAP. VIII. *De caſu fortuito ad tit. de condict. cauſ. dat. cauſa non ſequuta.* pag. 27.

CAP. IX. *An fictio breuis manus in mutuo locum habeat.* pag. 31.

CAP. X. *An quis alieno nomine accuſare poſſit.* pag. 33.

CAP. XI. *An periculum rei venditæ & nondum*

tradita pertineat ad emptorem. pa. 37.
CAP. XII. Rurſus de eadem re aduerſus Antonij Fabri coniecturam. pag. 41.
CAP. XIII. An ſocietas vectigalium tranſeat ad heredes. pag. 45.
CAP. XIIII. De Denuntiatione quadam explicata, l. debitores, 10. C pignor. & hypoth. pag. 52.
CAP. XV. Ad legem vnicam, §. 1. D. Si quis ius dicenti non obtemp. pag. 56.
CAP. XVI. An ij qui ſunt ex numero iudicum poſtulare poßint. pag. 59.
CAP. XVII. An mobilibus legatis vel donatione nomina legata cenſeantur. pag. 62.
CAP. XVIII. Breuis & methodica interpretatio ad titulum Digeſtorum, De condictione ob turpem vel iniuſtam. pag. 65.
CAP. XIX. An mulier in hypobolo hypothecam habeat à tempore contractum, an à tempore mortis mariti. pag 74.

# GVLIELMI RANCHINI IN SCHOLA MONSPELIENSI Anteceſſoris, & in ſubſidiorum curia Occitana Regij patroni.

## VARIARVM LECTIONVM LIBRI TRES.

*Feſti Pompeij locus de ſucceſſione filij adoptiui explicatus & emendatus.*

### CAPVT. I.

TE iure iratum ſentiat, Magne Scaliger, qui te inconſulto in tuo Feſto aliquid audebit. Mihi per te liceat quod de vno loco nunc ſentio exponere, in quem ego iudicem ſiue arbitrum libenter conſentio, etiam de reliqua parte meorum ſcriptorum. Locus, quem dico eſt de filio emancipato in adoptionem dato, quẽ in verb. *Mancipatus*, poſt tuas illas diuinas coniecturas ex veteri manuſcripto eruit Fuluius Vrſinus, ſed

non ſine mendo, vt ſuſpicor. Id enim quod nō modò inauditum antea, ſed etiam abſurdum & contra antiqui iuris regulas nobis ingerit, videlicet vt filius adoptiuus, non ſolùm adoptiuo, ſed etiam naturali patri ſit ſuus & legitimus heres. Erat quidem adoptiuo patri ſuus heres iure veteri, eique ſuccedebat ſoli, non etiam patri naturali, niſi eo caſu quo erat à patre adoptiuo emancipatus, vnde illa Iuſtiniani cōqueſtio: Sępè olim eueniſſe vt vtraque ſucceſſione defraudaretur filius, Patris naturalis, propter adoptionem, legitimi propter emancipationem poſt mortē naturalis patris ab eo factam. §. minus ergo. inſtit. De heredit. quę ab inteſt. defer. l. penul. C. de adoption. vocabantur tamen ad bonorū poſſeſſionem eiuſdem patris naturalis iam mortui, ſed ex capite, vnde cognati, nō autem ex capite, vnde liberi §. admonendi Eod. tit. De Heredit. quæ ab inteſt. defer. Ex noua Iuſtiniani Conſtitutione patri naturali eſt ſuus & legitimus hæres, non patri adoptiuo, quamuis vtrique ſuccedat ab inteſtato l. penult. C. de adoption. At illud inauditum vt vtrique patri & naturali & legitimo ſuccedat iure veteri illud, multo magis vt ſit vtriuſque ſuus & neceſſarius heres. Quomodo enim iure veteri (de quo loquitur Feſtus) patri naturali poſt emancipationem quæ neceſſariò in adoptione interueniebat authore Gellio filius adoptiuus ſuus & legitim⁹ heres eſſe poterat? Annon per emancipationem ius ſuitatis tollebatur §. minus ergo, eod. tit. De heredit. quę ab inteſt. defer. Qua fronte id aſſeuerare potuit eximius ille Iuriſcōſultus ſeruus Sulpitius, cuius teſtimoniū aduocat Feſtus in hanc rem? Nos, vt conſentiāt & Fe-

ſtus & Sulpitius cum cæteris iuris authoribus totum illum locum ita reſtituimus; *Mancipatus ita adoptantis ut patris ſui heres erat : adoptiuus enim eius qui adoptat tam heres eſt quàm ſi ex eo natus eſſet : & ut ſui patris ( ſi in poteſtate aliena non eſſet ) ita eſt eius legitimus & ſuus heres, ut patet manifeſtè ex eo quod ait S. Sulpitius in ea oratione quam ſcripſit & habuit pro Aufidia.* Præter ea quę iam dicta, plura ad hanc coniecturam confirmandam afferri poſſent. Sed malo lectorem ea elicere ex titulis inſtitutionum, De Adoptionib. & de Heredit. quæ ab inteſt. defer. atque ex Gellio noct. attic. lib. 5. cap. 19.

Non celabo tamen quid hac in re dici poſſit pro vulgata lectione. Magna fuit olim controuerſia inter veteres Iuriſc. vtrum hic filius manente adoptione poſſet inofficioſum patris teſtamentum dicere, in quo aut præteritus aut exheredatus fuiſſet. Eam nobis proponit atque etiã definit Iuſtinianus in d. l. penult. C. de adoption. imò exemplum de mota cum effectu querela habemus apud Valerium cap. 7. lib. 7. vt omittam, patri naturali querelam cõpetere aduerſus teſtamentum filij in adoptionem dati l. aduerſus D. De inof. teſt. qua de re extat quoque exemplum apud eundem Valerium eod. lib. 7. cap. 7. vbi de C. Calpurnio Piſone: At iſtiuſmodi quæſtioni vix locus eſſe potuit, niſi hoc priùs poſito & conceſſo, filium in adoptionem datum patri naturali inteſtato ſuccedere. Quamuis enim non omnes qui ab inteſtato ſuccedunt poſſint querelã inſtituere, illud tamen certum eſt, eũ qui non ſuccedit ab inteſtato, querelam quoque non habere. Etenim tũc demum competit querela

ſi quarta vel ( ex iure nouo ) tertia pars eius partis quæ debetur ab inteſtato relicta non fuerit §.vlt. inſtit. tit. de inoff. teſt. Vnde efficitur, vt cui nihil debetur ab inteſtato, non poſſit id teſtamentum tanquam ingratum accuſare in quo ſibi nihil relictum fuerit. Porro faciljus tribuitur ſucceſſio ab inteſtato quàm querela. Nam & hodie ex Conſtitutione Iuſtinani filius adoptiuus ſuccedit quidem patri naturali inteſtato mortuo, & tamē eius teſtamentum inofficioſum dicere non poteſt d.l.penult. C. de adoption. Qui ergo querelam habebit, eum dicam ſuccedere ab inteſtato: At qui ius habet ſuccedendi ab inteſtato eum continuo non dicam habere querelam, vt patet ex d.l.penult. Atque hac in re, vereor ne decipiatur princeps ille noſtrorū interpretum. Ad Nouellā conſtit.18. Vbi dat querelā filiis naturalibus, quib⁹ tertia pars ſextantis nō fuerit relicta: nā præter eam quam diximus rationem, illud etiam nos monet, quod leges fortè ſtrictè accipi debeant, & quod querela ſua naturâ odioſa ſit. Olim non ſuccedebāt ab inteſtato filij naturales, l. Humanitatis C. de natur. liber. Hodiè ſuccedunt in duabus vnciis, nullis extantibus legitimis liberis ex Nouell.89. §.ſi verò filios. Sed ita vt nulla fiat mentio de querela. Noua igitur lege opus eſſe cenſeo, vt ius querelæ habere poſſint. Sed ad rem: mouent me iſtæ rationes, atque ita mouēt, vt iam pœniteat Feſti verba immutaſſe. Re vera ferri poſſunt, ſed cum hac interpretatione, nimirū vt dicamus, varia hac de re ſenſiſſe veteres iuriſconſultos, vt etiam de querela. Alios denegaſſe penitus ſucceſſionem, alios in quibuſdam caſibus tribuiſſe: qui enim querelam ad-

mittebant,ij etiam ſine dubio concedebant ſucceſſionem ab inteſtato, & è conuerſo qui denegabant querelam, denegabant quoque ſucceſſionem. Id porro animaduertendum, S. Sulpitium, ea quę retulit Feſtus, dixiſſe in oratione pro Aufidia, & dixiſſe vt oratorem, & fortaſſe cauſæ aliqua ex parte ſeruiiſſe hac in re. Fortè enim id euenerat, vt ex magna & iuſta aliqua de cauſa bonorum poſſeſſio à prætore filio adoptato data aliquando fuiſſet mortuo patre naturali inteſtato. Quod exemplum Sulpitius deinde quaſi ius perpetuum & regulariter verum protulit, vt nimirum in ea cauſa quàm tuebatur, idem decerneretur.

Et ſanè filiæ in adoptionem datæ patri naturali ſuccedentis exemplum habemus in l. 2. §. ſed ſi quis D. Ad. Sen. Conſ. Tertyll. Impropriè tamē omninò dicitur eo in loco, eum patris naturalis ſuum heredem eſſe. Sed verba illa ita interpretabimur, verè quidem ſuum heredem non eſſe, ſed habere hac in re ius ſui heredis. Nam & Iuſtinianus ait hodiè filium adoptiuum habere ſui heredis ius in ſucceſſione patris adoptiui, quamuis in illius poteſtatem non tranſeat ex eiuſdem Imper. Conſtitutione d. l. penult. §. & ideo ſancimus. An igitur iam placet iſthæc interpretatio? Vtrauis placeat, nobis gratum futurum. Tuum eſto iudicium vir eruditorum nobiliſſime, & nobilium eruditiſſime, quem non minùs in iure quàm in cæteris diſciplinis peritum agnoſco ipſe, agnoſcunt alij.

*Emendantur & explicantur quædam apud Senecam patrem.*

## CAP. II.

SEnecæ patri manum leuiter admouebo, cum docti illius Senatoris venia, qui fœlicem ei non ita pridem operam præſtitit. Ita legitur vulgò in prima Controuerſ. lib. I. *Quiſquis alimenta à mendico rogatus eſt, nihil ampliùs quàm iter ei monſtrat. Vade ad fratrē, id eſt ad filium, iam quidam nobis eandem fortunā precantur. Crede mihi, Sacra populi digna eſt.* Quid ſignificent extrema illa verba nemo explicat, imò vt reor, nemo intelligit. Corruptam eſſe lectionem, nec rectiùs à quibuſdam legi, (*Satra populi*) monet Faber, medelam tamen non adfert, nos leui immutatiuncula pulchram ſententiam ita reſtituimus, *Crede mihi ſacra populi lingua eſt*: vt illud vulgatum expreſſerit Seneca, vox populi, vox Dei. Ita legendum eſſe indicant verba quæ præcedunt. Qui, inquit, ſtipem rogantur à mendico, à fratre tuo, eodémque patre meo naturali, *nihil dant, ſed tantum iter digito* monſtrantes, his cum verbis compellāt, vade ad fratrem. i. ad filium, imò & ſunt qui eandem fortunam nobis precantur, id eſt, mēdicitatem, quando ita impiè noſtras ei denegamus opes: infert tandem, Crede mihi, &c.

Nunc alia quædam leuiuſcula, & penè friuola perſequamur. Sic paulò poſt filium abdicatum alloquitur pater adoptiuus. *Adoptaui te cùm abdicatus es, cùm abdicas, abdico.* Faber reſtituit, *cum adoptas, abdico.* fortaſsè ita rectiùs, *cum adoptaris, abdico.* Id eſt, cùm in

gratiam reuerteris cùm patre naturali & ad priſtinum ius redis,quaſique ab eo adoptaris. Alio loco, *Interrogo vos iudices, quid facere oporteat, nam iſtum non interrogo, ſcit quid facturus ſim. Nam patrem vt vltori patri faciam iniuriam,alteri inuidiam?* Faber ita emendat, *Non alerem vt alteri patri, &c.* rectè fortaſsè, niſi quis vnius literæ mutatione ita malit. *Num patrem, vt alteri, &c.* Id eſt, *num commmitam*? Quæ deinde ſequitur controuerſia,digna eſt meo iudicio omnium lectione. adeo multis referta rebus ſcitu digniſſimis. Quæ ab alijs iam notata aut animaduerſa non tango. Id tantùm moneo, verba illa, *vultis auctionis exitum audire, vendit pirata, emit leno, excipitur nihil:* ex iure noſtro interpretationẽ recipere. Solebat enim aliquando hãc conditionem apponere venditor in mancipiis diſtrahendis. Ne ancilla quæ diuendebatur proſtitueretur. l. ſi venditor & l. Titius D. de ſeruo export. qùem morem tangit Seneca.

Illud etiam notatione dignum quod colligitur ex cõtrouerſia 4. lib. 10. infantes expoſitos ſeruos fuiſſe eorum qui illos ſuſceperant, *Expoſiti*, inquit, *nullo in numero ſunt, ſerui ſunt, hoc legumlatori viſum eſt.* Et paulò poſt, *Reipublicæ læſæ eorum nomine agi non poteſt qui extra rempubl. ſunt.* Quod confirmatur ex Traiani ad Plinium epiſtola 72. lib. x. ex l. 1. C. Th. De infant. expoſ. ac præterea ex l. 8. D. de pignor. & Hypoth. iuncta l. 6. eiuſdem tituli cùm ſit vtraque ex lib. 73. Vlpiani ad edictũ, vbi quod dicitur de alumno, accipiẽdum eſt de ſeruo alumno ac proinde de expoſito. Quemadmodum & quod ibidem dicitur de cõcubina & filiis naturalibus, exaudiri etiam debet de concubina ſerui & filijs ex ea natis, vt patet ex l. vlt.

C.Comm.de manumiſſ.Et quod diximus de expoſito id quoque aliquando in Gallia obtinuiſſe patet ex illa veteri formula infantis ſublati ac diuenditi: quam refert D. Cuiacius ad titulum 1. lib. 1. Sent. Pauli, *Nos in Dei nomine matricularij Sancti Martini dum manè ab hoſtia ipſius Eccleſiæ obſeruanda conueniſſemus, ibi infantulum ſanguinolentum inuenimus, & per triduum an quiſquam ſuum eſſe diceret perquiſiuimus, Nullo inuento, Caio nutriendum tradidimus, vt eum in ſuo ſeruitio iuxta legis ordinem retineat, pro quo prætium accepimus ſolidorum X.* Hodiè ex noua Iuſtiniani conſtitutione non ampliùs ſerui fiunt alumni, id eſt expoſiti & nutriendi ſuſcepti l.vlt.C.de infant.expoſ.

*Loci quidam ex Gellio reſtituti & explicati.*

## CAP. III.

AVlus Gellius mihi in amoribus pluribus abhinc, annis quemtamen lego cum ſcrupulo dum doctorum virorum ad eum ſiue notas, ſiue cõmentaria expecto. Multi diu polliciti, an adhuc aliquid præſtiterint ignoro. Nos enim iſtic, quaſi in extremis Gadibus degẽtes, quid edatur & in lucem prodeat, ſæuo præſertim iſto tempore non niſi poſtremi comperimus. Ideo nõ te accuſo, Magne Scaliger, nec te Carrio, nec te Giffani, fortè enim fidem adimpleſtis. Id ſi non factum, multi haud ſibi temperabunt, quin à vobis ceſſationis pœnas repetant. Ego verò quando ex iure noſtro etiam inuitum, & repugnantem debitorem vnicuique liberare fas eſt, quædam exſoluam veſtro nomine. An reprobis &

adulterinis nummis, nihil ad vos, mecum iſto nomine erit actio. A vobis verò ſi ſoluta repetam, Dabitur exceptio. SI NON RECTE SOLVERIS. In cap.2.lib.1. ita legitur vulgò. *Rem verò Ethicam naturámque humani ingenij virtutúmque origines, officiáque eorum confinia, aut contra morborum vitiorúmque fraudes animorúmque labes ac peſtilentias aſſeuerabat nulli eſſe magis ea omnia explorata.* Hîc quædam tranſpoſita & loco mota eſſe arbitror, quæ ego in priſtinas ſedes quaſi interdicto, vnde vi, ita reſtitui. *Morborum, vitiorúmque labes ac peſtilentias animorómque fraudes.* Illa enim locutio inaudita *fraudes morborum ac vitiorum.* Hæc verò apta & propria *labes vitiorum, morborum peſtilentiæ, fraudes animorum.*

Illud etiam ridiculum quod legitur in cap.13. lib. 3. *Demoſthenes*, inquit, *domo egreſſus, vt ei mos erat.* Etiãne alicui mos egredi domum? Monſtri ſimile! nónne inſipidum, illud exprimere? At nõ omnibus mos ad Platonem ventitare diſcendi gratia, idcirco illa verba ita repono: *Demoſthenes domo egreſſus, cùm ad Platonem pergeret, vt ei mos erat.* Sequitur deinde, *Compluréſque populos concurrentes videret.* His verbis ineſſe mendum, itaque ſcribendum, *Compluréſque è populo,* cenſebam. Populi enim ſunt nationes, Populus verò ciues: & ita emendaſſe virum eruditum H. Stephanum poſtea reperi in Editione Pariſienſi. Sed fortaſſe veriùs dicetur ad exprimendam numeroſam concurrentium frequentiam, Hyperbolica quadam locutione vti voluiſſe Gellium. Exemplo Quadrigarij, iuxta Frõtonis interpretationem in re ferè conſimili, authore eodem Gellio lib. 13. cap. 27. Et ſanè dum pompam & ſolemnia ſacrorum magnæ Deæ

deſcribit Apuleius, magnámque eorum frequentiā qui aderant in ſua reformatione, modò populos dicit, modò populum. lib. XI. Metamorph. *Meo iuſſu,* inquit, *tibi conſtricti comitatus decedent populi*: & poſtea, *Sanè diuinitus decedente populo ſenſim irrepo.* Mox, *Populi mirantur, religioſi venerantur tam euidentem maximi numinis potentiam.* Rurſus, *Omnes in me populi fabulantur,* &, *Tunc cuncti populi tam religioſi quàm prophani vannos onuſtas aromatis & huiuſcemodi ſupplicijs certatim conferunt*: tandem infert. *Qua voce feliciter cunctis euenire ſignauit populi clamor, inſecutus.* Nunc ad reliqua cap. 4. lib. 2. Ita legitur vulgò in omnibus quæ mihi videre licuit exemplaribus, atque etiam in Pariſiēſi H. Stephani. *Quod in alijs quidem cauſis iudex ea quæ dicit, quæque argumentis vel teſtibus demonſtrata ſunt, ſequi ſolet*: pro, *dicit*, putaui aliàs, reponendum eſſe, *Dicta*, &, *dicta*, ab Aduocatis ſiue patronis: ſed poſtea in veteri quadam editione ſcriptum inueni, *iudex ea quæ didicit*, rectiſſimè cap. 14. eiuſdem lib. 2. Rectè legitur hodiè. *Quid ſi vadimonium capite obuoluto ſtitiſſes*, non *abſoluto*, vt antea, nullo ſenſu, atque ita emendauerā ex ingenio paucis abhinc annis. Notandus autem ille mos obuoluēdi capitis reorū in capitali cauſa dicenda: ſunt enim illa verba ex M. Catonis libro cōtra Tiberium exſulem, quem ego ad contegendum eorum pudorem inductum fuiſſe autumo: nam & Antonius Iulianus rhetor amatorios verſus recitaturus apud eundem Gellium lib. 19. cap. 9. *Permittite mihi, quæſo,* inquit, *operire pallio caput, quod in quadam parum pudica oratione, Socratem feciſſe aiunt. Tum reſupinus capite conuelato, &c.* Damnati quoque ad ſupplicium capite obuoluto ducebantur. Tullius Verr. 7. *Alij ca-*

*pite obuoluto è carcere ad palum rapiebantur*. i. ad ſupplicium, vt explicat idem Tullius alio loco, *Hos ad ſupplicium more maiorum traditos & ad palum alligatos*. Velato quoque capite pœnas rei dabant etiam in furca, vnde illa horrendi carminis lex quam refert Liuius lib.1.& M.Tullius in orat. Pro Rabir.perd.reo. *Caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito*. Sic Cæſar vbi animaduertit vndique ſe ſtructis pugionibus peti, toga caput obuoluit, ait Sueton.in Cæſ.Mortui prę terea velato capite efferebantur Velleius lib. 2. *eius corpus velato capite elatum eſt*.

*Alij loci apud Gellium reſtituti & explicati.*

## CAP. IIII.

IN Gellio ſiue Agellio rurſus aliquid conabor, indéque quaſi gemmulas quaſdam legam, quibus meam Spartam ornem, iuriſprudentiam dico, quam ſolam colo atque veneror, cuiúſque illuſtrandæ gratia veteres quoſcunque, nouóſque authores verſo, dum ad perfectam iuris tam antiqui quàm hodierni notitiam iter intendo. dum tractat Gellius de gradu atque ordine officiorum lib.5.cap.13.hæc verba recitat Maſurij Sabini ex lib.3. iuris ciuilis, *In qua cauſa fœminæ viris potiores ſunt habitæ, pupillaríſque tutela muliebri prælata*. Hæc inuicem pugnant. Non enim fœminæ viris potiores habitæ, ſi muliebri tutelæ pupillaris prælata. Ideo ſic emendo, *Pupillaríque tutela muliebris prælata*. Vt ſit exemplum eius ſententiæ quę præcedit. Notum verò omnibus mulieres in perpetua dein tutela fuiſſe ex Tullio pro Muræna, ex Vl-

piano in Fragm. ex aliis. Sequitur deindè in eodem capite, *etiam aduerſus quem affuiſſent, eius filij tutores relicti in eadem cauſa pupillo aderant*, quem locum non cito, vt quaſi reum corripiã, aut vexẽ, ſed vt componã cum lege vlt. D. de poſtul. vbi Triphonius Iuriſc. *A principe noſtro*, inquit, *reſcriptum eſt non prohiberi tutorem adeſſe pupillo in negotio in quo aduocatus contra patrem eius fuiſſet.* Principis noſtri nomine Alexandrum intelligit ex cuius conſilariis erat Triphonius, Lampridio teſte. Nemo regulariter pro eo agere poteſt aduerſus quem fuit aduocatus, nec contra aduerſus eum cui antea præfuit, quod & in eorum liberis locum habet. Ex ea regula excipiuntur tutores, vt patet ex duobus ſuperioribus locis, qui etiam aduerſus fiſcũ agere poſſunt in ea cauſa in qua aduerſus patrem pupilli antea fuerunt fiſci Aduocati d. l. vlt. & l. penult. eiuſd. tit.

Obſeruandum præterea principium edicti Edilium Curulium, aliis verbis referri apud Gellium li. 4. cap. 2. quàm in libris noſtris. Nam in l. 1. D. de Ædil. edict. ita ſcriptum legimus.

*Qui* MANCIPIA *vendunt, certiores faciant emptores, quid morbi vitijue cuique ſit, quis fugitiuus errove ſit noxave ſolutus non ſit.*

Apud Gellium verò ita.

TITVLVS *ſeruorum ſingulorũ vt ſcriptus ſit curato, ita vt intelligi rectè poßit, quid morbi vitijque cuique ſit quis fugitiuus errove ſit, noxave ſolutus nõ ſit.*

Sunt qui hac in re Vlpianum aut Tribonianum incuſant, dum ab hoc aut ab illo edicti verba temerè immutata eſſe augurantur. Quos non audio, fiebãt enim huiuſmodi mutationes ab ipſis Magiſtra-

tibus, à Prætoribus, inquam, aut Ædilibus dũ eſſent annua eorum edicta, multiſque in rebus aliter olim, aliter poſtea edicebatur. Qua de re exempla quædã refert D. Cuiacius, ad legem. 1. D. quod met. cauſ. extat etiã inſigne aliud exemplum in l. ſed & ſi, §. ſi feriæ D. ex quib. cauſ. maior. vbi ait Vlpianus C. Caſſiũ Prętorem nominatim edixiſſe reſtituturum ſe ex hac cauſa, ſi feriæ extra ordinem fuiſſent indictæ, quamuis hac de re nihil edicerent alij prætores l. 1. D. eod. tit. alia quoque exempla ex Tullij orationib⁹ peti poſſunt quæ cõſultò omittimus. Illud autem edicti caput quod refert Gellius non eſt integrum: deſunt enim hæc verba in principio : *Qui mancipia vendunt Titulus ſeruorum, &c.* & pro *curato*, legendum, *Curãto*, quib⁹ ita reſtitutis facile erit dignoſcere quænã immutatio à poſteriorib⁹ Ædilib⁹ hac in re facta fuerit. Verba enim quæ de titulo ſeruorũ loquũtur, ſublata fuere, & pro iis, *iſthæc repoſita certiores faciant emptores, reliqua cõueniunt* Porro Titulus ille qui ſeruis imponebatur, Elogium continebat vitiorum & virtutum. De vitiis, docent hæc edicti verba. De virtutibus perſpicuum facit Suetonius in libello de claris grammat. *Apud Maiores, ait, quum familia alicuius venalis produceretur, non temerè quem non literatum in titulo, ſed literatorem inſcribi ſolitum eſſe, quaſi nõ perfectum literis, ſed imbutum.* Vbi delẽda negatiua, & legẽdum, *quem literatum*, ideo autem non temerè literatus ſeruus inſcribebatur, ne eo nomine actio Ædilitia cõpeteret. Illud præterea animaduerto ædiles nihil edixiſſe nominatim de venditione rerum immobilium. Sed tantùm veteres Iuriſcõſultos quædam de iis cauiſſe. Id clarè Tullius lib. 3. officior. *Ac de iure*

*quidem prædiorum*, inquit, *ſancitū eſt apud nos iure ciuili vt in his vendendis vitia dicerentur, quæ nota eſſent venditori.* Et paulò poſt, *Iuriſconſultis etiam reticentiæ pœna eſt conſtituta, quidquid enim eſt in prædio vitij, id ſtatuerunt, ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet præſtari oportere.* Et rurſus. *Nec verò in prædiis ſolùm ius ciuile ductum à natura malitiam fraudémque vindicat, ſed & in mancipiorum venditione, venditorum fraus omnis excluditur, quæ enim ſcire debuit de ſanitate, de fuga, de furtis præſtat edicto ædilium.* Vbi notandum eſt nō dicere Tullium, *Venditorum fraudem omnem excludit*, quod referretur ad ius ciuile, ſed fraus omnis excluditur, vt nimirum hoc poſtremum ad Ædilium edictū pertineat, primùm verò de prędiorum diſtractione ad ius ciuile. Num igitur ſomniant iuriſconſulti noſtri, dū aiunt ædilitium edictum ad rerum ſoli venditiones pertinere? nempè in l.1. In pr. in l. etiam. Et in l. ſciēdum D. de ædilit. edict. minimè verò: ſed hæc ita cōcilianda. Verba quidem edicti nullam mentionem de rerum immobilium venditione facere, vt patet ex dicta l. 1. Sententiam tamen edicti ad eas porrigi ex Iuriſconſultorum interpretatione, vt etiam ad permutationes in l. ſciendum tamen §. emptorem D. Eod.

*Gellius rurſus emendatus & explicatus.*

CAP. V.

DEnuò minutula quædam in Gellio perſequamur, nec tamē prorſus inutilia. Quale eſt illud de Milonè Crotonienſi, lib. 15. cap. 16. *Quercum vidit*

*proximè viam patulis in parte media ramis hiantem*. Ita omnes libri quos quidem viderim, cui loco vnius literulę mutatio medelam afferet, ſi pro, *Ramis*, legamus, *Rimis*, ita verò legendum euincit ſententia, & verba illa quæ ſequuntur, *immiſſis in cauernas arboris digitis*, id eſt in rimas. His ſimilia videtur loquutus Apuleius, lib. 9. Metam. *Hoc tibi dolium*, inquit, *minùs vetuſtum eſt & multifariam rimis hiātibus caſſum*, & lib. 10. *Clauſis ex more foribus per quandam modicam cauernulam rimantur me paſſim expoſitu epulis inhærentem*. Vbi cauernula, nihil aliud quàm rima. Vereor etiam ne apud eundem Gellium, ita deinde ſcribendum ſit. *Ac mediam quidem diſcidit diuellitque*, id eſt arborem, euulſa illa vocula, *Partem*, quæ nihil aliud quàm verum gloſſema, ſi vera conijcio.

In principio capitis 7. lib. 14. Ita legitur etiam in editione Pariſienſi; *Cn. Pompeio conſulatus primus cum M. Craſſo deſignatus eſt*. Haūd dubito, quin Gellius ita ſcripſerit. *Cn. Pompeius, Conſul primùm cū M. Craſſo deſignatus eſt*. Et ideo primū dixit, quia iterū poſt aliquot annos cum eodem Craſſo conſul fuit renunciatus. Huius autem aduerbij, *Primum*, quæ ſit vis ac poteſtas & quid differat à *primo*, docet idem Gellius cap. 1. lib. 10. Porrò quòd primùm Cōſul fuit factus Pompeius cum Craſſo, non fuit ordine primus, ſed ſecūdus, quanquàm poteſt, primus fuerit alter ſecundus. Quæ autem à Gellio narrantur in d. cap. 7. referenda ſunt ad primum Conſulatum, dum ait eum Senatus habendi conſulendíque, ac rerum humanarum expertem Varronem rogaſſe, vt ſibi commentarium concinnaret Senatus habendi.

Cap. 11. eiuſdem lib. 7. in his verbis, *Et leuitatem ap-*

*pellauerunt perinde quaſi lenitatem*, ingens ineſt mendū, leuíque immutatione, pro *leuitatem*, reponendum eſt, *vilitatē*, quod præcedentia ſatis perſpicuè demōſtrant, dum ita loquitur Gellius, *Leues dixerunt, quos vulgo nunc viles & nullo honore dignos dicimus*, Cap. 18. lib. 17. pro, *notiones*, vel vt in aliis, *nationes*, legendum, *Notationes*, nam cenſoria notio nuſquam dictum. At cenſoria notatio, rectiſſimè. Scio quidem iudicum notionem dici in iure noſtro, pro cognitione iudicum. Sed non eo ſenſu accipi poteſt cenſoria notio apud Gellium: loquitur enim de cenſoria nota.

Quæ nunc addam acuta magis, quàm vera quibuſdam videbuntur, at ego vera potiùs haberi cupio. Cap. 2. lib. 11. Hæc M. Catonis verba ex libro qui inſcriptus eſt, *Carmen de moribus*, referuntur. *Poeticæ artis honos non erat: Si quis in ea re ſtudebat, aut ſeſe ad conuiuia applicabat, Graſſator vocabatur*. Quid ſit *Graſſator*, eo in loco, nō ſatis perſpicio. Quid ſi legamus, *Grallator*, Grallatores erant Pantomimi qui perticis ſuperſtantes, gradiebātur, vt ait Feſtus, & Nonius. Ibi autem metaphoricè poſitum eſſe hoc nomen dicemus, pro mimo, nugatore, garrulo. Quid etiam ſi nō *grallator*, ſed, *Garrulator*? ſi Latina hæc dictio, planè eā repono. Ea fortè veteres Romani vſi, vt hodie vtimur hac voce, Nugator, & poſteà pro, *Garrulator, Garrulus*, dici cœptum, vt pro, *Maledictor, maledicus*, auctore Feſto in verb. Maledictores. Hæc ego vera eſſe putabam, nunc verò non videntur eſſe ſeciùs quàm ſomnia, poſtquam nobis illuxit Nonius ille, qui aliàs ſæpè nebuloſus nebulo, apud quem Gallare eſt Bacchari: Gallantes, Bacchantes, Varronis authoritate, quem citat in verb. *Gallare*, num ergo re-

ctè

ctè legimus *Gallatores*, in hoc loco vt eo nomine per ignominiam appellati fuerint olim tam poëtæ quàm edones? Ita cenſeo, ita quoque cenſeant, qui nihil verius ſentire poſſunt. Diu etiam penſiculaui num pro *Conuiuia* rectiùs eſſet, *Conuitia*, vt cum poetis coniungantur ij qui conuitijs vnumquemque inceſſebant, qua in re poetices ſtudium omne olim ferè ponebatur, Horatio teſte atq; etiam aliis, nihil tamen muto, ſed doctis iudicandum relinquo: Cap. 14. lib. 6. Ait Gellius veteres Romanos exempla pro maximis grauiſſimiſque pœnis dixiſſe. At ego inuenio etiam nouos eo verbo eadem ſignificatione vſos. Nempè Tacitum lib. 15. annal. *Vt quamquam aduerſus ſontes & extrema exempla meritos.* i. ſæueriſſimas pœnas. Iuuat quoque hanc Gellij interpretationem Donatus in illud Eunuchi, *Vterque exempla in te edent*, *Exempla*, inquit, *dicuntur mira & noua tormenta, quæ pro exemplis narrentur aut, quæ documento ſint cæteris, ne delinquant.*

*Seneca Philoſophus correctus & explicatus, & lex tertia, C. de Iudæis.*

CAP. VI.

LAborat apud Senecam duob⁹ in locis vir multæ lautitiæ Antonius Muretus, nec ſe ſatis extricat, cui ſubueniam ea ſaltem gratia quòd eius opera aliàs plurimum alleuatus fuerim. Principium Epiſtolę 88. ita ſe habet. *De liberalibus ſtudiis quid ſentiam ſcire deſideras: nullum ſuſpicio, nullum in bonis numero, quod ad æs exit. Meritoria artificia ſunt hactenus vtilia*

*ſi præparent ingenium, non detinent.* Fatetur Muretus ex his verbis, *quod ad eas exit*, nullum ſe idoneum ſenſum elicere, imò & pro, *Meritoria*, reponere geſtit, *Militaria*. Prima verba corrupta ſunt ſine dubio, quæ ſic ex ingenio reſtituo, *quiſque ab iis exeat*. i. Nemo in iis ſtudiis conſeneſcat, ſed vnuſquiſque iis ſemel imbutus ad maiora tendat. Id quod latiùs deinde explicat ad hunc fermè modum: Vt hoſpitia & diuerſoria ad eos excipiendos inſtituta ſunt qui aliò tendunt, ſic etiam hæc ſtudia excipere nos debent & præparare ad grauiorem aliquam diſciplinam, non autem perpetuó detinere. Hæc, inquã, ſtudia quaſi diuerſoria eſſe debent, & in iis tamdiu immorandum (vt poſtea ſubijcit) quãdiu nihil animus agere maius poteſt. Eodẽ autẽ modo dicimus, *Artificia meritoria*, quo *Vehicula meritoria*, *cœnaculum meritorium*. *Taberna meritoria*. Et *artificia*. Id eſt, artes ſiue ſcientiæ, vt in l. Duo 71. D. pro ſoc. nihil ergo mutandũ hac in re apud Senecã, ſed potius horũ verborum luce emendanda lex tertia C. de Iudæis, in quà ita legitur, *In Synagogam Iudaicæ legis, Veluti hoſpitii merito irruentes milites iubeas emigrare.* Corruptiſſima ſunt hæc verba; nullúmque idoneum ſenſum referentia, quæ ideo ſic reſtituo, *Velut in hoſpitia meritoria irruentes*, fœlicius fortaſſe, quàm ij qui reponunt, *in Synogoga Iudaica Velut hoſpitio milites irruentes.*

Alter locus eſt ex ludo de morte Claudij, in quo fit expoſtulatio de Deorum multitudine his verbis: *Multa dixit de magnitudine Deorum; Non debere hunc vulgo dari honorem: Olim, inquit, magna res erat Deum fieri. Iam fama nimium feciſti.* Hæc poſtrema verba non

capit Muretus, nec mirum: quis capiet, cùm ſint corruptiſſima? Probabo hac in re ſtudioſis meam operam, vt ſpero & gratiam inibo, dum ita reſtituo. *Iam fana nimia feciſtis*. Id eſt, iam innumera templa condidiſtis, dum omnes paſſim in Deorum cenſum atque ordinem recipitis.

*Suetonius explicatus Torrentij interpretatione reiectâ.*

## CAP. VII.

SVnt hæc Tranquilli verba in Domitiano cap. 9. *Reos qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependiſſent, vniuerſos diſcrimine liberauit; nec repeti niſi intra annum; eáque conditione permiſit; vt accuſatori qui cauſam non teneret, exſilium pœna eſſet.* Simile quid antè Auguſtus conſtituerat, vt patet ex his eiuſdem authoris verbis in Auguſto cap. 21. *Diuturnorum reorũ, & ex quorum ſordibus nihil aliud quàm voluptas inimicis quæreretur, nomina aboleuit, conditione propoſita, vt ſi quem quis repetere vellet, par periculum ſubiret.* Qui quidẽ locus facem accẽdit ſuperioribus verbis, quæ Torrentius vir alioquin doctiſſimus obnubilat, dum ea accipit de ærarij debitoribus. Turbarunt virum doctum illa verba, *Apud ærarium pependiſſent*, quibus ipſe eũdem ſenſum affingit, quem ea referunt quæ leguntur in Claudio cap. 9. quæ ſanè prima fronte cum his penitus conuenire cenſeas. Ego verò aliò traduco, an rectè, aliorum eſto iudicium. Olim omnia ferè acta deferebantur in publica tabularia, ea autem tabularia in ærario aſſeruabantur, id eſt, in æde Saturni. Seruius Honoratus in illud Virgilij ex ſecundo Georg.

*—Aut populi tabularia vidit.*

*Vbi, inquit, actus publici continentur, ſignificat autem templum, Saturni, in quo & ærarium fuerat. Et ibi reponebantur acta quæ ſuſceptis liberis faciebant parentes. Iuuenalis,*

*Tollis enim, & titulis actorum aſpergere gaudes,*
*Argumenta viri.*

Hæc Seruius: leges quoque in æs inciſas in ærarium deferri ſolitas, refert, idem. Suetonius in Iulio cap. 28. De Senatuſconſultis. Idem tradit Liuius lib. 35. & Tacitus liber 3. annal. Præſides quoque prouinciarum eorúmque legatos & quæſtores redditas ſemel rationes in ærarium retuliſſe, ac præterea in beneficiis eorum comitũ, quos liberet, nomina ex Cicerone & Agellio docuit Sigonius li.2. de antiq. iur. prouinc. cap. penult. Idem fiebat de eorum nominibus qui aliquo officio fungebantur publico, teſte Modeſtino Iuriſconſulto in l. abeſſe. D. ex quib. cauſ. maior. in integ. reſt. & Frontino in libel. De aquæduct. Itidem cum magiſtratus annui eſſent, ne perirent acta publica ſub ijs cõfecta, iis officio & poteſtate functis, ea omnia in ęrariũ relata fuiſſe arbitror. In iis autẽ eorũ reorum nomina de quibus nõdum latum fuerat iudicium, continebãtur. Quod inde perſpicuum fit, quòd nemo ad accuſandum admittebatur niſi priùs inſcriptionum ſiue ſubſcriptionum libellos dediſſet. Vt patet ex Titulis de accuſationibus & inſcriptionibus: qui quidem libelli apud acta deponebantur, aut etiam ſine libello fiebat delatio viua voce apud acta. l. ſi quis ſe iniuriam. C. de accuſat. & inſcript. Quo facto, recipiebatur nomen inter reos, vt om-

nibus notum. Senatus etiam decreta quibus criminum rei condemnati fuerant, in ærariũ delata fuiſſe docet Tacitus lib. 3. annal. *Factum Senatuſconſultum*, inquit, *ne decreta patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur, idque vitæ ſpatium damnatis prorogaretur.* Quæ cum ita ſint, hæc Suetonij verba, *Reos qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependiſſent*, ita interpretabimur ex eodem Suetonio, diuturnorum reorum nomina, quæ in actis ſuperiorum annorum in ærarium relatis, ibidem latebant ab accuſatoribus neglecta, oboleuit.

*De iudicio Horatiano. De prouocatione à Regibus & Dictatoribus Romanis.*

## CAP. VIII.

PArum inter ſe conueniunt veteres authores in iudicio Horatiano enarrando, Liuius lib. 1. Horatium ad Tullum Hoſtilium regem raptum fuiſſe ait, Tullum verò ne tam triſtis inuiſique in vulgus iudicij, ac ſecundùm iudicium ſupplicij author fieret, concilio populi aduocato Duumuiros creaſſe qui perduellionem iudicarent. Dionyſius verò Halicarnaſſeus lib. 3. Regem Horatianæ cædis cognitionem ſuſcepiſſe refert, ſed cùm neque condemnare vellet ciuem tam benè de republica meritum, neque etiam relinquere nocentem indemnatum, eam cognitionem ſiue iudicium ad populum remiſiſſe. Valerius lib 3. cap. 3. nu. 6. Horatium hoc nomine reum ad populum actum fuiſſe ait, nulla de rege mentione facta. Imò quòd magis mirère, ſunt

qui in hoc iudicio à rege ad populum prouocatum fuiſſe volunt. Id ſcripſerat Tullius in libris de Republica, vel Seneca teſte epiſt. 108. *Ciceronis libros de Republica*, inquit, *cùm prehēdit philologus, prouocationem ad populum etiam à regibus fuiſſe notat.* M. Fabius apud eundem Liuium lib. 8. *Videro*, inquit, dictatorem alloquens, *ceſſurùs ne prouocationi ſis, cui rex Romanus Tullus Hoſtilius ceßit.* Idem Valerius lib. 8. cap. 1. nu 1. *M. Horatius interfectæ ſororis crimine à Tullo rege damnatus, ad populum prouocato iudicio abſolutus eſt.* Quo pacto hæc omnia conciliari poſſint, non ſatis perſpicio: mihi ſatis eſt ea retuliſſe. A veritate autem alienum prorſus videri poterit quod hîc dicitur de prouocatione à rege ad populum. Conſtat enim ſummā poteſtatem atque imperium habuiſſe olim Romanos reges. Pomponius in princ. legis 2. D. de origin. iur. ait olim omnia fuiſſe in manu regum: & in §. quod ad magiſtratus. *Omnem poteſtatem habuiſſe reges initio Vrbis.* Dionyſius de Romuli legibus atque inſtitutis loquens lib. 2. eum legum ac iuris cuſtodiā iudiciáque criminalia penes ſe ac ſubſequentes reges retinuiſſe teſtatur, exceptis leuioribus delictis, quorum coercitio ſenatui relicta Clarum etiam ex Liuio, qui lib. 2. teſtatur, *Tarquinium Superbum cognitionem rerum criminalium per ſe ſolum ac ſine cōſilio exercuiſſe, pérque eam cauſam occidere, in exilium agere, bonis multare potuiſſe.* Vbi notandum id ſolum improbari, quòd ſolus ac ſine conſilio id ageret. Cum ergo ſummum imperium haberent reges, ſummámque poteſtatem etiam in criminalibus iudiciis, mirum eſt ſane ab iis prouocationem fuiſſe. Sed animaduertent id ſemel factitatum in iudicio Horatiano,

quod primum fuit populi iudicium de criminibus, teſte eodem Dionyſio lib. 3. atque etiam poſtremũ ſub ipſis regibus, vt ego quidẽ arbitror. In quo quidem iudicio ceſſit prouocationi Tullus Hoſtilius, vt colligitur ex eodem Liuio lib. 8. idque ſponte & voluntariò: quod ex eis confirmatur, quę narrantur ab eodem Liuio lib. 1. & ab eodem Dionyſio loco iam citato, dum hic, Horatium à Rege remiſſum fuiſſe populo qui eum iudicaret, ille verò eundem regem Horatio authorem fuiſſe vt ad populũ prouocaret, teſtantur. D. Cuiacius idem de dictatore dicendum putat in l. 2. § populo D. de origin. Iur. vt nimirum à Dictatore prouocatio non fuerit. Dictator tamen prouocationi ſponte ceſſerit. Et ceſſiſſe quidem Dictatorem prouocationi patet ex Liuij loco ſuperiùs citato. An autem ſponte aut neceſſariò id factum fuerit dubitari poteſt. Noluit quidẽ populus hac de re iudiciũ ferre, ſed tantùm interceſſoris partibus fungi. Id fortè quia iure, quãuis ſummo, à Dictatore condemnatum fuiſſe Fabium Magiſtrum equitum qui iniuſſu eius pugnauerat, intelligebat. Eum tamen vtpote victorem perire nolebat, ob quam cauſam pro Fabio preces interpoſuit. Dictator populi precibus Fabium donauit. At ex iis quæ tradit Feſtus in verb. *Optima lex*, tollitur omnis dubitatio. docet enim olim à Dictatore prouocationem non fuiſſe, poſtea fuiſſe. *Optima lege cùm dicebatur*, inquit, *in Magiſtro populi faciendo, qui vulgò Dictator appellatur, quam pleniſſimum poſſet ius eſſe ſignificabatur, vt fuit Marci Valerij, M. Fabij Voluſinæ getis qui primus Magiſter à populo creatus eſt. Poſtquam verò prouocatio ab eo magiſtratu ad populum*

*data eſt, quæ antea non erat, deſitum eſt dici, eum optima lege eſſe, vtpote imminuto iure priorum Magiſtratuum.* Non ergo ſponte, vt vult D. Cuiacius, ſed neceſſariò cedebant prouocationi Dictatores poſt nouum illud ius quod intelligit Feſtus, quod tamen quo tempore aut à quibus latum fuerit, incertum habemus. Nullam ego hac de re ſpecialem legem ſancitam fuiſſe arbitror: ſed id ius deſcendere ex lege Valeria de prouocatione, qua cautum fuit, *Ne quis vllum Magiſtratum,* ſunt verba Liuij ex lib. 3. *ſine prouocatione crearet. Qui creaſſet, eum ius faſque eſſet occidi, néue ea cædes capitalis noxæ haberetur.* Quam quidẽ legem generaliter latam populum generaliter intellexiſſe veriſimile eſt, Senatum verò exiſtimaſſe, Dictatorem ab ea fuiſſe exceptum. Titus quidem Quintus Conſul apud eundem Liuium lib. 4. ita loquitur in Senatu, *Conſules immeritò increpari qui cõſtricti legibus de prouocatione ad diſſoluendum imperium latis, nequaquam tantum virium, in magiſtratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi haberent. Opus eſſe non forti ſolùm viro, ſed etiam libero exſolutóque legum vinculis, itaque ſe Dictatorem L. Quintum dicturum, ibi animum parem tantæ poteſtati eſſe.* Pomponius autem ita de Dictatore loquitur in l. 2. §. populo. D. de orig. iur. quaſi antea ab eo appellatio nunquam fuerit. Indiſtinctè enim loquitur, & eo tẽpore quo appellatio à Dictatore erat ex mente Feſti. Vix autem veriſimile, Pomponium ita ſcripſiſſe ſi aliqua lege nominatim de Dictatore cautum aliquid hac de re fuiſſet. Ergo ius illud à legibus Valeriis & Horatiis duxiſſe ortum dicamus, quibus data prouocandi poteſtas ab omnibus magiſtratibus, non

autem ab aliqua ſpeciali lege de Dictatoribus lata.

*An à pari magiſtratu ad parem eſſet olim prouocatio.*

## CAP. IX.

PRouocationem fuiſſe olim à pari magiſtratu, ſiue poteſtate ad parem, author eſt M. Tulius lib.3.de legibus:vbi hanc confingit legem. *Magiſtratus nec obedientem & noxium ciuem multa, vinculis, verberibus coerceto, ni par maiórue poteſtas populúſque prohibeßit, ad quos prouocatio eſto.* Accommodat autem Tullius leges ſuas quoad poteſt ad Reip.Romanæ formam, infert enim poſt propoſitam Magiſtratuum deſcriptionem, *Quàm breui frater in conſpectu poſita eſt à te omnium Magiſtratuum deſcriptio, ſed ea penè noſtræ ciuitatis, etſi à te paululum allatum eſt noui.* Ne quis autem putet hac in re aliquid noui à Cicerone accerſitum fuiſſe, alia teſtimonia in medium profero. Ait idem Cicero lib.1.in Verrem, *Piſonem Verri interceßiſſe cum is aliter decerneret quàm edixiſſet initio anni.* Erat autem Piſo pr ętor Peregrinus, Verres autem Prætor Vrbanus. Hæc verba exponens Aſconius. *Intercedere*, inquit, *vt vides prætor prætori ſolet, vt Piſo Verri appellatione cauſæ ad collegam facta.* Quem locum debeo viro doctiſſimo mihíque amiciſſimo Iſaaco Caſaubono, quicum fauſtè ſuauitérque viuo, poſtquàm patriæ meæ partum hoc literarum decus. Effectus autem huius prouocationis non hic erat vt magiſtratus collegæ ſententiam contrario iudicio tolleret, aut reformaret, ſed tantùm vt intercederet, vt aliquem à collegæ vi & iniuria de-

ſenderet, vt impediret atque obſtaret, quod etiam ex ſequentibus exemplis apparebit. Fuiſſe præterea prouocationem ſiue appellationem à Tribunis ad Tribunos patet ex hoc Gellij loco lib. 7. cap. 19. *L. Scipioni Aſiatico P. Scipionis Africani ſuperioris fratri C. Minutius Augurinus Tribunus pl. multam irrogauit, eámque ob cauſam prædes poſcebat. Scipio Africanus fratris nomine ad collegium Tribunorum prouocabat, petebátque vt virum conſularem triumphalémque à collegæ vi defenderent.* Cùm autem alij Tribuni intercedere noluiſſent, ſolus Tyberius, Sempronius, Gracchus decretum tulit, quod ab eodem Gellio refertur, cuius hæc extrema ſunt verba, *Cornelium Scipionem Aſiaticum à collegæ vi prohibeo.* Suetonius quoque in Cæſare. cap. 23. *Mox & ipſe à L. Antiſtio Tribuno pl. poſtulatus, appellato demum collegio obtinuit cùm Reip. cauſa abeſſet, reus ne fieret.* Liuius lib. 3. *Virginius Tribunus pl. Appio diem dicit eúmque in vincula duci iubet. Ille Tribunos appellat, fruſtrà; prouocat ad populum.* Notanda locutio, inde enim colligimus propriè appellationem eſſe ad collegas, prouocationem ad populum. Idque ſemper obſeruat Liuius, non tamen ita religioſè alij authores, minùs etiam Iuriſconſulti noſtri qui his verbis promiſcuè vtuntur, vt Vlpianus in l. 1. §. ſi quis D. de appellat. ex qua quidem lege illud etiam diſcimus, *appellare iudicem ſiue magiſtratum*, &, *appellare ad iudicem*, item, *prouocare iudicem*, & *prouocare ad iudicem*, eadem ſignificatione dici, quod ideo moneo, quia inuenti fuerunt qui negarent. Illud quoque moneo, *Ad iudicium prouocare*, aliquando eſſe, in ius vocare, vt in l. in tribus, & ſeq. D. de iudiciis. Vnde fruſtra & perperàm nobis

perſuadere conatur C. Sigonius, lib. 3. de antiquit. iur. prou. capite 5. Eodem ſenſu poſitum eſſe illud verbum *prouocare*, apud Tullium, in loco ſuperiùs citato ex lib. 3. de legib. Ibi enim prouocare eſt appellare, & potiùs prouocandi quàm appellandi verbo vſus eſt Tullius, quia proximè de populo loquutus fuerat ad quem propriè erat prouocatio. Sed ad rem: extat de Tribunorum appellatione alius inſignis locus apud eundem Liuium lib. 3. *Cum Aulus Virginius Tribunus pl. Cæſoni capitis diem dixiſſet, prodictoque iudicio eum in vincula duci iuberet. Appellati alij Tribuni medio decreto ius auxilij ſui expediunt: in vincula coniici vetant, ſiſti reum, pecuniámque niſi ſiſtatur populo, promitti placere pronuntiant.* Dicet quis fortaſsè, aliud eſſe collegium Tribunorum, aliud collegam appellare, ſed is nihil dicet. Illud enim certiſſimũ, vnum è collegis potuiſſe cæteris intercedere, potuiſſe ergo appellari aduerſus cæteros. Et ſanè, apud Gellium loco iam citato, ſolus Gracchus intercedit ex appellatione ad collegium facta, cùm cæteri collegæ ſe non interceſſuros pronuntiaſſent. Appellabantur etiam Tribuni, vt ciues maximè plebeios à conſulum vi & iniuria prohiberent. Inde apud Liuium lib. 2. *Lictor miſſus à Coſſ. Volero appellat Tribunos. Cum auxilio nemo eſſet, Coſſ. ſpoliari hominẽ & virgas expediri iubẽt. Prouoco,* inquit, *ad populum*, Volero. Inde Aſconius in 4. Verrin. *Romæ appellari Tribuni poſſunt contra omnem poteſtatem.* A prætoribus quoque ad Coſſ. prouocationem ſiue appellationem fuiſſe patet ex hoc Valerij loco lib. 7. cap. 7. nu. 6. *Genutius quidam*, ait, *matris magnæ Gallus à Cn. Oreſte Prætore vrbis impetrauerat vt reſtitui ſe in bona Næuiani*

*iuberet quorum poſſeßionem ſecundum tabulas teſtamenti ab ipſo acceperat. Appellatus Mamercus Conſul à Surdino, cuius libertus Genutium heredem fecerat, prætoriam iuriſdictionem abrogauit.* Erat præterea prouocatio ſiue appellatio à Conſule ad Conſulem, quod inde colligo, quia alter alteri intercedere poterat. Fiebat autem intercesſio vel ſponte & nullo interpellante, vel etiam aliquo appellante. Inde Liuius lib. 2. de Dictatore loquens, *Neque enim,* inquit, *vt in Coſs. qui pari poteſtate eſſent, alterius auxilium, neq; prouocatio erat.* Conſulem quoque Conſuli obnuntiaſſe patet ex hoc Suetonij loco in Cæſare ca. 20. *lege Agraria promulgata obnuntiantem collegam armis foro expulit*, de Cæſare & Bibulo Coſſ. loquitur. Et paulo poſt, *In eã coegit deſperationem vt quoad poteſtate abiret, domo abditus nihil aliud quàm per edicta obnuntiaret.* Hæc autem obnunciatio erat ſpecies quædam intercesſionis.

*Pignora cedere, Suetonius emendatus.*

## CAP. X.

MAgiſtratus non obedientes ciues, eorúmque imperio non obtemperantes pignoribus captis coercebant: ea autem pignora confringebãt poſtea quaſi vindictæ loco. Marcus Tullus 3. de orat. in princ. *An tu,* inquit, *qui omnem authoritatem vniuerſi ordinis pro pignore putares, eámque in conſpectu populi Romani concideres, me his pignoribus exiſtimas poſſe terreri, non tibi illa ſunt cedenda ſi Craſſum vis coercere. Hæc tibi eſt excidenda lingua, qua vel euulſa ſpiritu ipſo libertas mea refutabit.* Verba ſunt Craſſi Senatoris ad

Philippum Conſulem qui pignoribus captis Craſſum inſtituerat coercere. Ad hanc conſuetudinem alluſit Tibullus hoc verſu, *Quid faciam demens, eheu, eheu mea pignora cedo*. Nunc fas ſit mihi poſt eruditos Torrentij & Caſauboni mei commentarios, Suetonio ex his locis lumẽ dare leui immutatiuncula. Ait ipſe in Iulio de eo loquens cap. 11. *Vettium pignoribus captis, & direpta ſupellectile malè multatum, ac pro roſtris in concione penè diſcerptum coniecit in carcerem*, pro *direpta* repono *dirupta*. i. confracta nam quod ait Torrentius in tumultu ſubreptam fuiſſe ſupellectilem, vix veriſimile, nimis enim indignũ authore Magiſtratu tales direptiones fieri. Porro ſolent etiam Magiſtratus ex iure noſtro contumaces aut multæ irrogatione aut pignoribus captis coercere. At ea ſemel capta non confringuntur, diſtrahuntur tamen propter contemptum & in pœnam contumaciæ, vt patet ex l. 1. §. ex hoc reſcripto. D. de ventr. inſpic.

### *Sententiæ quædam ſimiles quæ apud Iuriſconſultos & alios authores leguntur.*

### CAP. XI.

NOn rarò eadem dicta eaſdémque ſententias, quamuis aliis verbis elatas reperimus apud veteres authores, ac in libris noſtris plures antea notarunt viri docti, ego hoc capite quaſdam ſeligam, cùm id neque inutile, neque iniucundum ſtudioſis fore exiſtimem. Claudij Saturnini Iuriſc. verba hæc ſunt in l. aut facta, in fin. D. de pœn.

NONNVNQVAM *euenit, vt aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur. Quoties nimium multis perſonis graſſantibus exemplo opus ſit*, cum his verbis compono hanc Symmachi pulchram gnomen ex lib. 2. Ep. 13. *Tantum denuò legibus ſeueritatis addendum eſt, quantum flagitia creuerunt.* Vlpian. lib. 28. ad Sabin. in l. 22. & 24. D. contr. empt. SI OMNE *Religioſum vel ſacrum, vel publicũ venierit, nullam eſſe emptionem. In modicis autem ex empto eſſe emptionem: quia non ſpecialiter locus ſacer vel religioſus venijt ſed emptioni maioris partis acceßit*, in hunc Vlpiani ſenſum incurrit Tacitus lib. 1. ann. in Tiberij ad Conſules epiſtola: *Nam cùm imperatori nuntiatum fuiſſet, Falanio majeſtatis reo inter alia obijci, quòd venditis hortis ſtatuam Auguſti ſimul mancipaſſet, Conſulibus ſcripſit, contra religiones non fieri*: ſunt hæc illius verba, *quòd effigies eius, vt alia numinũ ſimulachra venditionibus hortorum & domuum accedant*. Huiuſmodi autem principum effigies ſiue imagines fuiſſe inter res ſacras patet ex l. non contrahi D. ad l. int. maieſt. extat apud eundem Tacitum eodem loco inſignis de periurio locus, qui pertinet omnino ad l. 1. C. iureiur. ſed quia id ab aliis iã animaduerſum, haud actum ago. Vulgò notum vulgatiſſimũ illud Celſi dictum in l. inciuile D. de legibus, *inciuilè eſt niſi tota lege perſpecta, vna aliqua particula eius propoſita iudicare vel reſpondere*, indicatus iam à quibuſdam Æſchinis locus in eandem ſententiam in oratione cõtra Cteſiphonten, vbi Demoſteni vitio dat quòd non integram legem, ſed eius duntaxat particulam proponat. At non omnibus perſpecta, nec quod ſciam ab aliis notata Apuleij ſententia ex ea apologia quę ſecunda eſſe dicitur, & quam prioris par-

rem eſſe veris rationibus docet Caſaubonus noſter, digna mehercule quę huic legi quaſi interpres detur, *Multa ſunt*, inquit, *quæ ſola prolata calumniæ poſſint videri obnoxia; cuiuis oratio inſimulari poteſt, ſi ea quæ ex prioribus nexa ſunt, principio ſui defraudentur, ſi quædam ex ordine ſcriptorum ad libidinem ſupprimantur.* Item ait Vlp. in l. 1. ad fin. D. de quæſtion. non poſſe Præſidem prouinciæ ſententiam ſuam mutare. Quod & Imperatorum Dio. & Max. reſcripto cõprobatum fuit in l. pœnam C. de pœn. notauit D. Cuiacius inſignem D. Auguſtini locum ex lib. de fato ad hanc rem pertinentem, Obſ. lib. xx. capite xxxij. Nos alium indicabimus ex Floridorum Apuleij lib. 1. *Proconſulis tabella*, inquit, *ſententia eſt, quæ ſemel lecta, neque augeri litera vna, neque etiam minui poteſt, ſed vtcumque recitata eſt, ita prouinciæ inſtrumento refertur.* Illud pro corollario, ſubiicio quãdo per tabellam ferebantur ſententiæ, calculis ſemel in vrnam immiſſis nihil poſtea mutari potuiſſe: quod indicat idem Apuleius in libris metam. vbi multa priſci moris atque iuris inter fabellas adũbrantur: igitur lib. x. *nec quiſquam*, ait, *decurionum tam æquus remanſerat inueni, quin eum euidenter noxæ compertum, in ſui culeo pronunciaret, cùm iam ſententiæ pares, cunctorum ſtilis ad vnum ſermonem congruentibus, ex more perpetuo, in vrnam æneam deberent conijci: quo ſemel conditis calculis, iam cum rei fortuna tranſacto, nihil poſtea commutari licebat, ſed mancipabatur poteſtas capitis in manum carnificis*: Plura huius generis ſcio eſſe apud auctores bonos, ſed cum ab aliis iam fuerint indicata, nihil nũc poſſumus aut debemus aliud, quàm ſpiculas ab iis omiſſas colligere.

*Dubitatio de Terentij loco. Arnobius explicatus.*

## CAP. XII.

EMendauit olim Muretus hunc Terentij locum in Eunucho, *hunc comedendum & deridendum vobis propino*, verbum *præbeo* ſubſtineus in locum verbi *propino*, quod quatuor manuſcriptorum authoritate ſe facere teſtatus eſt. Quintum ego addo, eúmque vetuſtiſſimum, in quo ſcriptum eſt *præbebo*, inuitus tamẽ recedo à recepta lectione dum apud alios authores Terentij imitatione, ni fallor, idem verbum eadem ſignificatione vſurpatum reperio, vt apud Apuleum lib. 5. Metamorph. *Quidni? qui ſæpius in angorem mei pellicatus puellas propinare cõſueuiſti*, id eſt, præbere, exhibere, & apud Capitolin. in Marco. *Marcus in ſermonem venerit quòd verum vel veneno ita ſuſtulerit, vt parte cultri veneno lita, vulnam inciderit, venenatam partem fratri edendam propinans, & ſibi innoxiam reſeruans.* A Terentio tranſeo ad Arnobium, id eſt, ab Afro ad Afrum inquem dum Franciſci Pithæi ſingularis atque admirandæ doctrinæ viri notas expecto, illud interim moneo Magiſtratum in ordinem redigere nihil aliud eſſe quàm magiſtratum contemnere, deſpicere, iniuria afficere, quaſi in ordinem plebeium referre contempta, læſaque illius poteſtate. *Magiſtratum*, inquit, lib. 4. *in ordinem redigere, Senatorem aut coniicio proſequi veſtris eſſe decreſtis periculoſiſſimum pœnis.* Alij authores dicunt in ordinem cogere, vt Liuius lib. 25. *Poſthumum ſuffragium populo per vim extorſiſſe, concilium plebis ſubſtuliſſe, Tribunos*

*bunos in ordinem coegiſſe*, & lib. 43. *eo facto auocatam à ſe tocionem Tribunus queſtus, & in ordinē ſe coactum abijt.* Plinius quoque lib. 1. Ep. 23. *poteſtatem ſacroſanctam & quæ in ordinem cogi Vt à nullo, ita ne à ſe quidē deceat.* Loquitur de Tribuno plebis quem ait indecorum eſſe ea dignitate exornatum cauſas agere, cùm ſeipſum deprimat.

*Nonius emendatus in multis locis.*

## CAP. XIII.

IN Nonio repurgando non nemo ad hunc vſque diem occupatus: nos quoque aliquid enitamur, ſi non prorſus verum, ſaltem non illiteratum: multa enim adhuc in eo deprauata, peruerſa ac nullius ſenſus, ex quibus quædam nunc ſanabo, dextro Æſculapio. In verbo *refragabant*, vel vt alij emendant rectè, *ſuffragabunt*, hic locus Siſennæ ex lib. 4. hiſtoriarum ita legitur, *Multi populi, plurimæ conciones dictaturam omnibus animis & ſtudijs ſuffragauerunt.* Videant docti, num hæc ita emendari debeant, *Multi populo, plurimis concionibus Dictaturam omnibus animis & ſtudijs ſuffragabant.* Id eſt, multi populo perſuadere conabātur ſuis orationibus, vt dictator crearetur. In verbo, *Aſſenſit*, citatur hic locus ex Accij Neoptolemo, *Vbi nihil contra rationem, & quam habuit aſſenſit ſilens.* Fortè ita legendum, *Vbi nihil contra rationem æquam habuit, aſſenſit ſilens.* In verbo, *Comiſereſcimus*, corrupta ſunt hæc Ennij verba, ex Hectoris Lytris, *Seruos, & noſtrum imperium & fidem Mirmidonum Vigiles comiſereſcite*, conſtabit

ſententia ſi ita legamus,*ſeruate voſtrum imperium, & fidem Mirmidonum fragilem commiſereſcite*. In verbo *Labaſcor*,ita Accius, *nullum eſt ingenium tantum, neque cor tam ferum quod non labaſcatur lingua, miteſcat malo.* Rectiùs ita,*nullum eſt ingenium tam durum,&c.* quod autem ſequitur, *quod non labeſcatur lingua*, ita interpretandum, quod non ſermone molliatur. In verbo,*Reuortit*,Pomponius Maiali,*Cœnā quæritat, ſi eum nemo vocat, reuortit mœſtus ad me: Nam miſer.* In fine ita legendum, *Reuertit mœſtus ad meam miſer*, nam quod alij emendant, *ad menam*, vereor ne ſubtilius ſit,quàm res ipſa poſtulet.In verbo,*Rixat*, extat hic Varronis locus, in armorum iudicio. *Ille viros hortari vt rixarent præclari philoſophi*. Pro, *Ille*, repono, *illi*, vt ad philoſophos referatur. Eſt & alter ex Serrano,*dormit alius nimirum,vigilant,clamant,calant, rixant*,ita meliùs fortaſsè, *dormiunt alij, hi mirè vigilant,&c.*In verbo *ſpecis*, Accius Alcmeone, *quod Dij interdum inferum penitus depreſſum altis clauſere ſpecis*, ſenſus erit aliquis, ſi ita legatur, *quem Dij ad ima infera penitus depreſſum, &c.* In verbo. *Vulgariam*, Afranius, priuigno, *dehinc temeritatem repudio vulgariam*,emendo, *dehinc temeratam repudio vulgariam*,id eſt fœminam conſtupratam, & quæ pudicitiā vulgauit: temerare autem, pro conſtuprare legitur apud Tacitum & Apulcium. In verbo *,indecoris*,vereor ne in hoc Accij verſu deſit negatio,*cuius ſit vita indecoris mortem fugere turpem conuenit*, qui enim turpiter vixit, is etiam dignus, qui turpiter moriatur:at ex aduerſo, ei cuius eſt vita decora,mors turpis euitanda: Ideóque ita potius legerim, *cui non ſit vita indecoris mortem fugere turpem conuenit*. In verbo,

*neſantia* Varro in *σκιαμαχία*, *ego*, inquit, *eam ſuppetias, quæ tunc mihi nec res, nec ratio eſt, diſſociat, atque omnia neſantia*. Hunc locum à Ioſia Mercero adoleſcente doctiſſimo pertentatum ita reſtituo, *ego*, inquit, *eam ſuppetias*, ei ſup. *quocum mihi nec res, nec ratio eſt, diſſociatáque bona neſantia*, id eſt, bona & mala. In verbo, *tumulti*, Afranius Vopiſco, *hem quid hoc, perij, pertimui, quid tumulti exaudij*, mallem ita, *hem quid hoc? penè pertimui: quid tumulti exaudij?* ita vt hæc (*pene pertimui*) ſummiſſa voce dicantur, & ab eo qui ſecum loquatur. In verbo *Progenij*, pro *noſtræ progenij patris*, mallem, *noſtræ progenij parens*. In verbo *itiner*, Pacuuius Duloreſte *Delphos venũ pecus ſecundæ ad ſtabula ac itiner cõtuli*. Dignus locus de quo Delphos mittatur, cui nihil dat lucis hæc antiqua lectio, quam quidã notarunt, *pecus egi vnde ad ſtabula*, alludam ego ad ſententiam, verbaque ſubſequar hoc modo: *Delphos vorſum pecus ſe condit ad ſtabula hac itiner cõtuli*. In verbo, *Gelo*, Varr. *Seſquiuliſſe, pueri dum comitéſque tenent, cata Gelo patri montium laxa*, quidam codices pro *cata* habent, *ſtrata*, vt alij monent, at mihi nunquam fides, ni reponendum ſit, *Carra*, plura huius generis ad Nonium apud nos, quæ dabimus propediem, vbi placebũt iſta. Quæ ſi ideo quis reſpuat, quod nõ in omnibus fortè compareat matri fides, dicam ineptire eos qui curioſiùs hæc obſeruant, cùm ſæpe remiſſiùs & negligentiùs numerorum ratio ab iis fuerit habita. Quod enim de vno Ennio dictum apud Gellium lib. 12. cap. 2. & lib. 13. cap. 21. & ab Horatio in arte poetica, atque etiam à Seneca, id ad cæteros comicos illius æui pertinere arbitror.

*Vterque Plinius emendatus, & Latinus Pacatus in Panegyrico.*

## CAP. XIIII.

QVanta laboret inuidia Correctorum opera nō ignoro. Et ſanè multi hac in re impenſo audaciores, quorum nimia temeritas, infrenîſque in corrumpendis bonis authoribus licentia, aliis quoque nociua, ipſis inhonora: ego quidem quantum in me eſt, nihil temerè audeo, nemo tamen mihi iure ſuccenſebit, opinor, ſi quæ in veteribus authoribus verſandis corrupta aut parum caſtigata meo iudicio iudico, coniectura aliqua iuuare ſtudeam. Liberum cuique atque integrum erit quæ placebunt probare, quæ diſplicebunt, reſpuere: imò & pœnitentiæ locus erit, in iis improbandis quæ ſemel probata: nullam enim hac in re volumus obligationem contrahi. Prætor hoc nomine actionem non dabit, aut ſi dederit, eam elidet exceptio, *ni pactus fuerim*. Hac conditione inſignem locum reſtituo apud Plinium Epiſt. 11. lib. 4. vbi ita legitur hodie, *Latinè*, inquit, *declamaturus ſum, dicens triſtia & miſeranda, dignum tamen illum qui hæc ipſa ſtudia inceſti ſcelere maculauerat*: hiat hic locus, quē ideo ſic compono, *dixit triſtia & miſeranda, digna tamen illo, qui hæc ipſa ſtudia, &c.* Loquitur Plinius de Valerio Luciniano, quem exilio pulſum cum in Sicilia profiteretur fortunam ſuam, miſeriámque conqueſtum fuiſſe ait. Addo & alium locum ex altero Plinio, qui naturalis hiſtoriæ libro 18. cap. 3. ſententiam v-

nius capitis legis 12. Tabul. his verbis exprimit. *Frugem quidem aratro quæſitam furtim noctu pauiſſe ac ſecuiſſe puberi 12. Tabulis capitale erat, ſuſpenſúmq; Cereri necari iubebant grauiùs, quàm in homicidio conuictū.* Iuſtus Lipſius ille totius Europæ ocellus ep. quæſt. lib. 4 Ep. 26. pro, *ſuſpenſumq; Cereri*, emendat *ſacratúmque Cereri*, nos aptiùs fortaſſe, & propiùs ad legis ſenſum, ita reponimus *infeſtúmque Cereri*. In Panegyrico Latini Pacati Theodoſio dicto, mendum ingens odoratus ſum in his verbis, *illud purius, ſplendidiúſque credebat quod dediſſent dolentes, quòd hominum lacrymæ non animum æquè abluiſſent.* Vbi poſtrema verba leui immutatione facta ita concinno: *Non amnium aquæ*, verè, aptéque ni fallor: & paulò pòſt, *Quod ſi cui ille præ cæteris ſceleribus ſuis minus crudele fuiſſe videtur veſtrum ſi veſtrum Vallij triumphalis & trabeate, Meraubaudis recordetur interitum.* hæc verba, *ſi veſtrum* expungit Henr. Stephanus vir exquiſitæ multipliciſque doctrinæ, vide tamen num rectè ita legi poſſit, *vnuſquiſque veſtrum*, & *crudelis*, pro, *crudele* atque etiam, *Trabeati* pro *Trabeate*, & *Vallij* pro *Vallio*, niſi dicas eſſe indeclinabile nomen. Explicanda quoque & emendanda verba quæ ſequuntur, *& inuſta fœminæ mortis infamia* pro *inuſta* reponunt quidam *& vſta*, non rectè. Ego hac in re nihil muto: ſed tantùm pro, fœminæ lego *fœmineæ*. Ait enim, vallio inuſtam fuiſſe infamiam fœmineæ mortis, id eſt, parum virilis, quaſi maluerit laqueo perire quàm gladio.

*Qui ſint eius Francicæ Hiſtoriæ authores quæ Aimoini nomine circumfertur.*

## CAP. XV.

QVisquis Aimoinum legis, aduerte quæ nunc dicam,& gratiam habe pro iudicio, non ſolus Aimoinus eius hiſtoriæ author quæ illius nomine circumfertur,ſunt alij præterea. Ille quidem primus, idémque nomine notus:alij poſteriores, & quaſi optiones, ijdémq; incerti omnes atque ignoti:cuncti tamen monachi,ſi vera coniicio. Eos autem, ſic diſtinguo :Scripſit Aimoinus vſque ad initium regni Pipini, vt clarè teſtatur ipſe in limine ſui operis libris quatuor diuiſi. Vnde ſequitur vt maior libri quarti pars,in qua de Pipini,Caroli Magni,& Ludouici Pij rebus geſtis agitur,itémque totus liber quintus aliis authoribus tribuendus ſit. A quo autem capite ſeparatio ſit facienda, quaſi arbiter finium regundorum,diſquiram, vt potero. Sunt qui à capite 42. Aimoinum decurtant, ſed ij veriùs illum caſtrant ac detruncant. Plurimum quidem tribuo libro Floriacenſi, cuius id authoritate fieri dicitur, ſed plus tribuo ipſi Aimoino qui vſque ad id temporis quo Pipinus Caroli Magni pater regnare cœpit, hiſtoriam ſuam ſe producturum monet:in eo autem capite non modò non ad Pipinum, ſed ne quidem ad Carolum Martellum illius parentem peruentum eſt.Sit igitur finis Annalium Aimoini caput quinquageſimum quartum, aut etiam ſexageſimum primum: ſine dubio alterum è duobus:quodnam autem,affirmare vix audeo.Sup-

putatio temporum quæ fit in vtroque capite, in primo, annorum mũdi: in altero, annorum Pipini, cuius nondum deſcripta hiſtoria fuerat, quæque, vt videtur, deſcribẽda alijs relinquebatur, finiti atque abſoluti operis indicium præbet. Dum Carolum Magnum nominat Aimoinus, ad eum vſque ſe vixiſſe ſatis monet. Potuit igitur ea ſcribere quæ in dicto cap. 61. de Pipini ætate regnóque dicuntur. At qui ea ſcripſit quæ in capite 54. leguntur, non vlteriùs progreſſus fuiſſe videri poteſt. Dum ibidem ita loquitur, *A Paßione Domini vſque ad iſtum annum præſentem, qui eſt decimus nonus, Principis Caroli* (Martelli videlicet) *ſunt anni* D.CCXXXV. niſi dicamus ſequentibus annis eum reliqua addidiſſe, vt eſt veriſimile. Hæc de Aimoino. Accedat iam alter qui ei ſucceſſit: cuius ſcriptis initium dabimus vbi Aimoino exitum. Finis enim annaliũ Aimoini, principiũ iſtius qui trium Galliæ regum vitam regnúmque & Imperium deſcripſit. Pipini, Caroli Magni, ac Ludouici Pij: quíque ſub eodem Carolo ac Ludouico vixit, rebúſque interfuit ſub eorum imperio geſtis. Quę verò iam peracta ante eorum Imperium, id eſt, antequam Romani Imperij faſces ſuſcepiſſet, ea ſe ab Ademaro monacho didiciſſe profitetur in capite vltimo lib. 4. Fuiſſe autem eum quoque monachum, eidémque Ludouico familiarem, aut ſaltem notum ex cap. 17. lib. 5. manifeſtum fit. Huius ſcriptis finem damus à Ludouici morte, id eſt, à capite 2. lib. 5. In cuius extrema parte aliam agnoſcimus manum, aliúmque authorem, nempè ab ijs verbis, *Vertente autem anno, &c.* Id autem ne cuiquam dubium eſſe poſſit, faciunt ea

quæ in fine dicti capitis narrantur. Lotharium videlicet vnum ex Ludouici Pij liberis, *eam Franciæ partem ſibi vindicaſſe, quæ vſque in hodiernum diem ex ſuo nomine Lotharij regnum appellatur*: quæ ſanè non potuit ille ſcribere, qui rebus Caroli Magni & Ludouici Pij geſtis ſe interfuiſſe teſtatus eſt, ſed alius omnino qui etiam diu poſt Lotharium, & alio ſæculo vixerit. Ab eo igitur capite ſit nobis alius ſcriptor, iſque Annaligraphus: ſingulas enim ferè res per annorum ſeriem notauit accuratiùs omnino, quàm ij qui præcedunt, quos hiſtoriam ſcripſiſſe dico, hunc verò Annales, eóſque non rarò luxatos, atque hiantes: vt in cap. 20. eiuſdem libri 5. quod neque cohæret cum ſuperiori: & à quo, ſi ad ſequẽs deſcendas, plurimorum annorum acta intercepta fuiſſe animaduertas. Is enim Lotharius de quo fit mentio in dicto capite ſequenti 21. non eſt ille de quo agitur in cap. 19. verſus finem; ſed eius filius. Certum eſt enim, ſuperiori tres fuiſſe filios, Ludouicum Imp. Carolum, & hunc Lotharium. Carolo autem mortuo Ludouicum & Lotharium eius inter ſe regnum diuiſiſſe: defuncto deinde Lothario dum iret Romam ob duas vxores à ſe ductas, duos eius patruos, Ludouicum, inquam, & Carolum, Ludouici Pij filios, de quibus agitur in dicto cap. 19. arripuiſſe eam regni portionem, quæ ad eum peruenerat, quæque iure ac legibus ad Ludouicum Imperatorem eius fratrem pertinebat; vt patet ex Adone Viennenſi. Hæc tibi notanda, & quaſi inter media habenda, inter caput 19. & 21. quibus ignoratis, vix ſatis intelligas caput illud vigeſimum primum, interrupta rerum ſerie, & hi-

ſtoriæ filo.Similia multa poſſem indicare,niſi aliud nũc agerem.Huic autem Chronographo, quiſquis tandé ille fuerit,ea omnia tribuo quę à dicto capito decimonono, & verſiculo, *Vertente autem anno*, vſque ad caput 49. in quo ab Annalibus ad hiſtoriã denuò reuerſum, & hiſtoriam floridiori accuratioríque ſtilo compoſitam, duorum tantùm regum Ludouici 6.& 7. res geſtas enarrantem. Iam quatuor habes huius Frãcicæ hiſtoriæ authores. Inueniã & quintũ,eúmq; obſcurũ,bardũ,ſtupidũ,& vno verbo,verè monachũ:qui cum vidiſſet ab Aimoino perpetuã ſucceſſioné Abbatũ Cœnobij S. Germani Pariſienſis obſeruatã fuiſſe,idem præſtare voluit in cæteris authoribus à me iam deſignatis, quod fecit ita inſulsè,atque importunè, vt in media ſæpe rerum narratione, integras has de re clauſulas interponat,vt lib.4.cap.46.47.48.& lib.5. cap,53.54. Vereor auté ne ſarcinator iſte, quiſquis ſit, diuerſa hæc diuerſorum authorum ſcripta inter ſe conſuerit,amputato vniuſcuiuſque operis capite,aut ſi id non factum(fortè enim à diuerſis continuatum illud opus,vt accidit Euſebij,Sigeberti,aliorúmque Chronicis) dicam ſaltem quædam hunc miſcuiſſe malè cõſuta, ac de ſuo addidiſſe,legentibus ingrata prorſus ac inſipida,quæ tamen neque reſpuo, nequæ damno ob inopiã ſcriptorum Francicę hiſtoriæ, quam ex veteribus illis ſcriptoribus haurire ſatius eſt, quàm ex nouis quibuſdam rapſodis, qui multa obtrudunt nobis quæ nunquam facta, ficta, picta aut ſcripta.

*De ſalario Præſidibus Prouinciarum conſtituto.*

## CAP. XVI.

VIdi qui negarent olim apud Romanos ſalarium Præſidibus prouinciarum fuiſſe conſtitutum. Sanè ante Auguſtum propriis ſumptibus atque impenſis munus quiſque publicum à ſe ſuſceptum aut ſibi impoſitum obibat, teſte Dione lib. 53. Auguſtus autem primus ſalarium publicè eis cōſtituit, ſi modò eidem Dioni hac in re fides. Nam vt dubitem, facit Lampridius in Alexandro, ex quo hunc deſcripſi locum, *Idem Imperator*, inquit, loquitur de Alexandro, *cùm iudices promoueret exemplo veterum*, vt & Cicero docet, *& argento & neceſſariis inſtruebat, ita vt præſides prouinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas ſenas, mulos binos, equos binos, veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas, aureos centenos, coquos ſingulos, & ſi vxores non haberent, ſingulas concubinas, quòd ſine his eſſe non poſſent, reddituri poſt eam adminiſtrationē, mulas, mulos, equos, muliones & coquos, cætera ſibi habituri, ſi bene geſſiſſent: In quadruplum reddituri, ſi malè.* Hæc Lampridius: vnde id colligimus, prouinciarum adminiſtratores ſalaria ſiue ſtipendia habuiſſe olim, & ante, & poſt Auguſtum: ſed ante Auguſti tempora, nec certa nec ordinaria: vt ego quidem interpretor, poſtea verò & certa & perpetua: vt præter cæteros fidem aſtruit Imperator Iuſtinianus in l. vlt. C. de inoff. teſt. his verbis, *Quemadmodum conſtitutum fuerat in Proconſulibus & præfectis legionum, & præſidibus prouinciarum, & omni-*

*bus generaliter qui in diuerſis dignitatibus vel adminiſtrationibus poſiti à noſtra conſequuntur manu, vel ex publicis ſalariis quaſdam largitates*, & in Nouella 8, *Gentium Præſides qui ciuilia in prouinciis officia adminiſtrant puris vtantur manibus, & omni præda abſtineant, his ſolis contenti quæ præbentur ex publico.* Præterea obſeruamus non ſolis prouinciarum præſidibus, ſed cæteris præterea in aliis dignitatibus conſtitutis ſalaria conceſſa fuiſſe. Et ſanè extat epiſtola Valeriani Imperatoris apud Trebellium in Claudio, qua ſalarium conſtituitur Claudio, non tanquam Tribuno, ſed tanquam duci, id eſt, maius, auctiúſque, quàm ad Tribunum pertineret. Et altera apud Vopiſcum in Probo ad Miluium Gallicanum præfectum prætorio, qua ingens ſalarium Probo Tribuno militum decernitur. Hæc autem ſalaria & ſtipendia non eadem omnibus fuère, ſed pro munere & adminiſtrationis modo, pro dignitate, pro meritis vnicuique delata, vt refert idem Dio lib. 53. Et non modò ijs qui erant in aliqua dignitate poſiti, ſed etiam eorũ comitibus & officialibus; omnibus, inquam, qui in aliquo officio conſtituti erant, quorum nómina in ærarium deferebantur huius præcipuè rei cauſa, vt videlicet exploratum eſſet quibus ſoluendum eſſet huiuſmodi ſalarium, vt patet ex his verbis veteris cuiuſdam Senatuſconſulti, quod extat apud Frontinum in libello de Aquæductibus: *Vti quibus apparitoribus ex hóc Senatuſconſulto curatoribus aquarum vti liceret, in diebus decem proximis, quibus Senatuſconſultum factum eſſet, ad ærarium deferrentur: quique ita delati eſſent, iis prætores ærarij mercedem, cibaria, quanta præfecti frumento dando dare deferréque ſolent, annua darent, &*

*attribuerent, iiſque eas pecunias ſine fraude, ſuas facere liceret.* Id etiam confirmatur ex lege 1. & 2. C. de offic. præfect. præt. Afric. & ex notitiis quæ ibidē leguntur, vnde perſpicuum fit Præfectis prætorio, Præſidibus, Proconſulibus, eorúmque legatis, aſſeſſoribus, oratoribus cæteríſque officialibus & comitibus ſalarium fuiſſe conſtitutum: de aſſeſſoribus quoque ſatis notum ex Lampridio in Alexandro. Et de reliquis comitibus Præſidum ex l. Diem functo. D. De offic. Aſſ. Id autem ſalarium in pecunia eis ſoluebatur pro annona, & capite, quod etiam clarius fit ex l. vnica C. de annon. & capitat. adminiſt. id eſt, ſoluebatur eis pro iis rebus quæ ad hominum victum neceſſaria ſunt & ad pabulum iumentorum.

*Finis libri primi.*

# GVLIELMI RANCHINI IN SCHOLA MONSPELIENSI Anteceſſoris, & in ſubſidiorum curia Occitana Regij patroni,

## VARIARVM LECTIONVM LIBER SECVNDVS.

*An Dos conſtituta filiæ naturali à patre naturali, mortua filia ſine liberis ad patrem reuerti debeat, an potiùs mariti lucro cedere.*

### CAPVT. I.

FVIT hæc quæſtio ſuperioribus annis agitata in Præſidiali curia huiuſce vrbis, quam ideo nunc breuiter pertractabo. Species hæc ſit: Sempronius, cùm ex Seia naturalem filiam ſuſcepiſſet, eam Titio vxorem dedit, centúmque dixit dotis nomine: defuncta in matrimonio filia ſine liberis, vindicat mari-

tus non modò dotem , ſed etiam vniuerſam filiæ ſucceſſionem ex capite prætorij edicti, *Vnde vir & vxor.* Pater verò nullam mouet controuerſiam legitimæ ſucceſſionis nomine , ſed tantùm pro dote quam ad ſe reuerti debere contendit. Quæritur cui dos cedere debeat, patri an marito. Pro patre reſpondet Panormitanus Conſ.115.volu.2.vbi clarè & perſpicuè docet, marito excluſo dotem à patre naturali profectam ad eum reuerti debere: eiúſque ſententiam confirmat author additionum ad Bartolum in l.1.in verb.conditio.D.ſolut.matr.Itáque etiam decidit Stephanus Ranchinus pater meus Deciſ.part.1.concluſ.61.Ratio autem quæ hac in re à Panorm. aſſignatur,hæc eſt:Quod quemadmodū iure canonico pater naturalis, etiam adulterinus cogitur filiam naturalem & ſpuriam alere , ex cap. *cùm haberet* : De eo qui duxit in vxorem quam polluit per adulterium. Sic etiam teneatur & dotem conſtituere,hac ſola ratione , quòd dos ſuccedat in locum alimentorū: vnde efficitur vt ceſſante cauſā alimentorū dos etiā ceſſare debeat , & ad patrē cōſtituentem reuerti . Præterea ſuadet etiam pietas, iúſque paternum vt dos ad patrem potiùs,quàm ad maritum reuertatur,tum propter arctius vinculum & neceſſitudinem præſtantiorem quæ inter patrē & filiam intercedit , tum etiam vt ipſa dos ei cedat in ſolatium amiſſæ filiæ:cuius rei gratia,iure noſtro ſancitum eſt , vt dos à patre profecta , mortua filia ſine liberis,ad patrem reuertatur , nulla conſtituta differentia inter patrem naturalem & legitimum, vt nec inter eum qui habet liberos in poteſtate , & eum qui non habet , cùm in l.profectitia §. ſi pater

D.de iur dot.dos à patre conſtituta filiæ emancipatę profectitia appelletur,hac ſola videlicet ratione, vt ad patrem reuertatur.Erant quoque qui illud affirmarent,hodie in Gallia ius ſucceſſionis inter virum & vxorem non eſſe,abrogato Prætoris edicto, *Vnde vir & vxor.* Hæc cùm ita ſint,puto tamen veriſſimè dici poſſe,huiuſmodi dotem ad patrem non reuerti, ſed mariti lucro cedere. Dotem, inquam, conſtitutam à patre naturali filiæ naturali ex ſoluto & ſoluta ſuſceptæ. Id enim in primis euincit Gulielmi Benedicti authoritas in ca.Rainut.In verbo *& vxor nom. Adelaſ.* deciſ. 5. nu.155. vbi perſpicuè docet,nihil ex huiuſmodi dote ad patrem reuerti, ſed omnia ad maritum pertinere. *Maritus,* inquit, *vxori ſuæ baſtardæ,cùm eorum coniunctio ſit legitima, cuius fauore tenetur pater filiam dotare ſpuriam, in qua dote cùm ſit patrimonium & hæreditas ſua, ſi aliter non diſpoſuerit,ſuccedet ab inteſtato maritus liberis ex matrimonio illo non exiſtentibus:quod eſt notandum.* Hæc Benedictus doctor Gallus & iuris Gallici apprimè gnarus. Secundò illud certiſſimũ eſt, ſolo poteſtatis iure & dotem & donationem propter nuptias à patre profectam ad patrem reuerti l.5.D.de diuort. l. filiæ & Accurſ.In eundem,D.ſolut. matr. l. dos à patre C. ſolut.matr.l.vnica §.accedit C.de rei vxor.act.l.2.in pri.& §.1.D.ſolut.matr.& Nouell.Leonis.De emancipat.& dot. conſt. 25. vnde fit vt dos filiæ emancipatæ conſtituta nõ redeat ad patrem, niſi ex pacto vel ſtipulatione interpoſita, vt in quibuſdam legibus iam citatis. Non debet etiam ad patrem naturalem reuerti ipſo iure ob eandem rationem, cùm indubitatum ſit patrem naturalem non habere in

poteſtate liberos ex concubinatu, aut alio eiuſmodi illegitimo complexu ſuſpectos. Nouell. conſt. quib.mod.eff. legit.§. illud tamen. l.3.D. de iis qui ſunt ſui vel al.iur. Imò naturali patri, ius noménq; patris denegatum eſſe, nominatim tradit Iuſtinianus in l.legem.C.de natur.liber.quod ius in eo maximè conſiſtit, vt ab eo profecta ad eum reuertantur: vt etiam ex aduerſo denegatur filio naturali ius noménque filij; maximè verò cùm de commodo, vtilitate, honoribus, dignitatibus & priuilegiis filiorum nomini attributis agitur, vt docet Bartol.in l.Tutela.D.de capit.diminut. in l.pronunciatio. D. de verb.ſignif.in l.1.& 2.D.de appellat. Cum igitur non poſſit dos ad patrem reuerti, conſequens eſt vt ad maritum pertinere debeat ſucceſſionis iure; ex edicto Prætoris, *Vnde vir & vxor*: quod quidem locum habere in nothis, & vulgò conceptis; cenſet Baldus in l.*ſi qua illuſtris*, verſ.*quæro quis ſuccedit*.C. ad Senatuſconſultum Orfic. in hac verò ſucceſſione, maritum in Gallia patri naturali præferendum eſſe, nemo eſt qui inficias eat: nam neque parentes, neque cognati ſuccedunt naturali filio, vt nec ex aduerſo hic illis, teſte Benedicto, Maſuerio, aliiſque multis. Iis autem quæ ex aduerſo afferuntur ita facilè reſponderi poteſt: in primis dicimus loqui Panormitanum de dote conſtituta filiæ natæ ex dãnato concubitu, veluti ex adulterio, aut inceſtu: nunc autem agi de dote conſtituta filiæ natæ ex ſoluto & ſoluta, vt canoniſtarum verbis vtamur. Maximam autem exiſtere differẽtiam inter natam ex nefario concubitu, & natam ex ſoluto & ſoluta: liberis enim adulterinis & ſimilibus ne alimenta quidem

quidē ſubminiſtrare permittit ius ciuile. Authent. *ex complexu* C. de inceſt. nupt. Ius pontificium mitiùs quidem cum ijs agit, ita tamen vt propter ſola alimenta nihil patiatur à patre eis relinqui. d. cap. cùm haberet. De eo qui duxit in matrim. quam polluit per adult. Vnde fit, vt nihil quicquam in eos transferre poſſit pater, aut inter viuos aut mortis cauſa, id eſt, neque titulo legati, neque dotis, neque donationis, neque alio eiuſmodi, ſed tantùm rem aliquam aſſignare in dotem, aut donationem fauore matrimonij, cuius fructibus alatur quamdiu viuet, quæque, ea defuncta, ad patrem ſtatim redeat, etiam extantibus liberis, vt nominatim definiuit Bartolus in l. fin. D. de iis quæ vt indign. auf. Ioann. Andreas in. d. cap. cum haberet. de eo qui dux. vxor. Panormitanus in d. cōſ. 115. Vnde fit vt neceſſariò ad patrem dos reuerti debeat, nec poſſit vllo pacto, etiam volente & conſentiente patre, ad maritum aut alios filiæ heredes transferri. At in filiis natis ex ſoluto & ſoluta aliud omnino obtinet & Romano iure & Gallico. Iure enim ciuili paternæ ſucceſſionis capaces exiſtunt, non modò teſtamentariæ, ſed etiam legitimæ, pro parte ſaltem, ſi non in ſolidum. Authent. *licet.* C. de natur. liber. Apud nos verò ſunt quidem incapáces hodie paternæ maternæque ſucceſſionis ex diuturna regni conſuetudine, teſte Benedicto, in cap. Raynutius, in verbo *&* *vxor. nom.* Adel. Deciſ. 5. nu. 147. & Maſuerio in tit. de ſucceſſion. Sed nihilominus pater alio quàm inſtitutionis titulo poteſt naturalibus liberis ex ſuis bonis, quæ velit relinquere, veluti donatione, aut inter viuos aut mortis cauſa, legato, fideicommiſſo,

dote, aut alid eiuſmodi: vt definitum fuit Pariſienſis curiæ placito, vt eſt apud Papon. tit. *De la ſucceſſ. des Baſtards*, cap. 2. Quòd cùm ita ſit, nihil eſt cur dicamus, dotem ſemel conſtitutam aut alias eiuſmodi res donatas debere ad patrem reuerti. Atque hoc modo reſponſum eſſe volumus non modo Panormitano, ſed etiam Stephano Ranchino patri meo, qui ea in re Panormitani authoritate nititur, quíque ob eam cauſam iuxta illius mentem exaudiri debet. Ratio autem qua vtitur Panormitanus, falſa prorſus & commentitia deprehenditur. Non enim valet illa cõſecutio. Vt is qui mulieri alimẽta ſubminiſtrare cogitur, ei quoque dotem conſtituere neceſſe habeat: vt colligitur ex l. vxorem. §. pater naturalis, D. de legat. 3. vtque cenſet Albericus de Roſat. in eandẽ legẽ. Alexand. ad l. 1. D. ſolut. matr. Angel. de Peruſio, conſ. 209. deinde quamuis illud maximè verum exiſteret, nunquam tamen inde efficeretur, quod vult Panormitanus, vt quemadmodum ceſſat alimentorum cauſa post eius mortem cui præſtabantur, ſic etiam dos conſtituta dotis amittat nomen, & ad conſtituentem reuertatur. Fatemur quidem dotem extingui ſimul cum filia, negamus verò ad eum qui conſtituit reuerti: idque propoſitis aliquot exemplis ſtatim euincimus. Patre inope & egeno tenetur mater filios a'ere, l. ſi quis à liberis. §. idem, D. de liber agnoſc. §. illud quoque Nouell. conſt. vt liceat matr. & auiæ: eadémque neceſſitas incumbit fratri. l. inter. 13. D. de adminiſtr. tut. Accurſ. in l. 1. C. de alend. liber. Cogitur etiam vterque ob eandem inopiam dotem conſtituere, videlicet mater filiæ, frater ſorori. l. neque mater.

C. de iur. dot. l. cùm plures. §. vlt. D. de adminiſtr. tutor. Et tamē ſi neuter fuerit ſtipulatus dotem ſibi reddi, ſine dubio non reuertitur, ſed pertinet ipſo iure ad heredes mulieris, l. vnic. §. accedit. C. de rei vxor. act. Patronus quoque libertam egenā atque inopem alere debet, idque niſi fecerit, ius patronatus amittit. l. Diuus. D. de iur. patronat: ac prętereà ea omnia quæ libertatis cauſâ libertis impoſita ſunt, legitimæ etiam hæreditatis libertæ incapax efficitur, l. ſi patronus 33. D. de bon. libert. l. alimētá D. de agnoſc. & alend. liber. vnde illud inferre licet, ex Panormitani mente, Cogi patronum libertę dotem conſtituere: & tamen id non conſequitur, huiuſmodi dotē ad patronū reuerti defuncta liberta; vt colligitur ex l. ſi dotem C. du iur. dot. vbi diuortio ſoluto matrimonio dos à patrono cōſtituta nō reuertitur ad patronum, etiamſi liberta probetur ingrata, ſed mariti lucro cedit. Quod autem dicitur in ea lege de diuortio, id trahi debet ad caſum mortis: quod hac ratione manifeſtum fiet, vbi ob proprium delictum mulctatur dote mulier, debet ſtatim ea dos ad eum accedere ad quem pertinet ipſo iure, veluti ad patrem ſi ad eū ipſo iure reuerti debeat, cui non officit filiæ culpa. §. eſt quoque quoddam, Nouell. conſtit. De nupt. l. vlt. à D. Cuiacio reſtituta ex libris Baſilicō n. C. de repud. Et ſic in d. l. ſi dotem, ideo penes maritum dos remanet, quia aduentitia dos ſoluto matrimonio ad maritum pertinebat ante nouam Iuſtiniani conſtitutionem, *de rei vxoriæ actione*; vt poſtea explicabitur. cùm igitur ad patrem nō reuertatur in d. l. *ſi dotem*, diuertio ſoluto matrimonio, etiā eo caſu quo liberta ingratitudinis

nota laborat,ſed remaneat penes maritum, niſi vbi ſibi patronus, aut pacto, aut ſtipulatione cauit: rectiſſimè infertur ad eum nõ reuerti etiã eo caſu quo libertæ interitu matrimonium diſſoluitur. Denique veriſſimum eſt quod ſuprà diximus, eam ſolam dotem reuerti ad conſtituentem, quam pater legitimus filiæ in poteſtate exiſtenti cõſtituit. Nec obſtat quod dicitur in d.l.profectitia.§. ſi pater.D. de iur.dot.dotem profectitiam eam quoque appellari,quam filiæ emancipatæ conſtituit pater:non enim ſtatim inde inferri poteſt eam ideo debere ad patrem reuerti. Quæcumque enim bona à patre ad liberos,ſiue ſuos,ſiue emancipatos proficiſcuntur, profectitia quidem appellantur, nec tamen reuertuntur omnia ad patrem,ea maximè quæ ad liberos emancipatos peruenerunt. Pietatem autem iúſque paternum nõ eſt quod quiſquam hîc commemoret: nullum enim pietatis aut neceſſitudinis vinculum cum tam vitioſa prole, ideóque ne patris quidem nomen datur patri,aut filij filio. Ius quoque paternum & ſacroſancta illa in liberos poteſtas ob turpitudinem tali genitori denegata. Neque id mirum, cùm ab ipſo naſcendi initio vſque ad vltimum vitæ diem infames liberos efficiat paternum vitium, eámque inurat maculã, quam mare ipſum numquam abluat ſuis vndis. Inter turpes perſonas quæ heredes inſtitutæ fratri querelæ cauſam tribuunt,connumerantur filij naturales ab Aniano,à Theophilo,ab alijs. *Degeneres* quoque appellantur à Iuſtiniano in l.vlt.C.de natur.liber. Et *Baſtardi* hodie à Germanico *Boeſ-art*, quod eſt degeneris ingenij:à Statio, *obliquum à patre genus*. Ab Euripide in

Phœnic.*μητρὶ λόχευμα, μίασμα πατρὸς*,id eſt,*matri turpis partus,& patri probrum ac piaculum*.Sanctior ſine dubio arctiórque illa copula, qua filius cum matre,ſoror cum fratre, liberta cum patrono, alumna cum alitore,filius ipſe legitimus emancipatus cum patre legitimo deuincitur ac colligatur,quæ tamen hunc non habet effectum, vt ad eos dotem retrahat ab ijs ſemel aut dictam aut datam: vt de omnibus iam probauimus, præterquàm de alitore, vtque de eo iam comprobamus ex l.1.C. de pact.conuent. Iam vero quàm auguſta eſt atque ſacra indiuidua illa vitæ conſuetudo inter ipſos coniuges?vxor olim quæ in matrimoniũ cõuenerat, erat viro loco filię: vir ei eo patris:legitimarum quoque hæreditatum ius inter eos datum ex l. 12. tabularum, vt auctor eſt Boëtius in Top. Cicer. Gell. lib.18. cap.6. Halicarnaſſ.lib.2.aliíque multi. Erat quoque ius ſuccedendi inter coniuges ſine conuentione in manum ex l. vlt. C. Th. De legit. hered.(quæ eſt Theodoſij & Valentiniani conſtitutio) & ex veterum Francorum & Longobardorum iure,vt patet ex lib.legum Francic. Tit. de vxor. defunct. l. vnic. & lib. leg. Longobard.Tit.de ſucceſſion.l.quicumque. Mariti quoque legitimi olim heredes erant ipſo iure rerũ dotalium,quę aliunde quàm ab ipſis parẽtibus vxoribus obuenerant, imò & earum rerum, quæ ab ipſis parentibus in poteſtate ſua liberos non habẽtibus, profectæ fuerant,vt clarum eſt ex Cornuto in Perſium,& ex l. 3. C. Th. de dotib.quod poſteà abrogatũ fuit ab ipſo Iuſtiniano in l. vnica,§. proculdubio.C.de rei vxor. act. vt etiam illud quod de coniugum ſucceſſione ex ſuperioribus legibus re-

tulimus,ea ſola excepta, quæ fit ex Prætoris edicto id eſt,ex cap. *Vnde vir & vxor.* Inde tamen diſcimus ſanctiorem eſſe hanc viri & vxoris neceſſitudinem, quàm ſpurcam illam,fœdam,deformen ac inuidioſam patris & filij illegitimi. Supereſt iam poſtremũ illud quod quidam obijciebant, moribus Francicis ſublatũ ex vſu fuiſſe edicti caput, *Vnde vir & vxor.* quod ſi verum, nõ propterea ius melius aut potius patri naturali acquiritur, ſed ipſi fiſco ad quem deuoluitur ſucceſſio:verùm dicendum eſt, id non obtinere, in ijs ſaltem Galliæ prouinciis, quæ ſcripto iure vtuntur: imò neque in ijs quæ moribus reguntur,ijs ſolùm exceptis in quibus expreſſæ extant cõtrariæ hac de re conſuetudines, teſte Paponio tit. de ſucceſſ. legit. art. 19. & Imberto in Enchiridio. His ita diſputatis iam illud concludamus, dotem à patre conſtitutam filiæ naturali ex ſoluto & ſoluta natæ,ea defuncta ſine liberis ad patrem non reuerti,ſed mariti lucro cedere: conſtitutam verò natæ ex nefario concubitu excluſo marito ad patrem reuerti.

*An hodie in Gallia omnes contractus in ſcriptis fieri debeant.*

CAP. II.

PVgnaui ſæpè in controuerſijs diudicandis cum quibuſdam noſtris hominibus pro capite 54. Molinææ Conſtitutionis,ex quo dicebam hodie in Gallia omnes contractus, qui de rebus, quæ ſummam excedunt centum librarum, ineũtur, fieri de-

bere in ſcriptis,nec per teſtes probari poſſe. Illi verò conſtitutionem accipiendam eſſe conſebant de ijs quæ extra ſcripturam inſtrumenti cōuenta fuerunt,quorum probationem aiebant fieri non poſſe per teſtes ſupra cētum librarum ſummam. Sed certiſſimum eſt duas eſſe partes illius capitis: Prima, qua illud enuntiatur; In omnibus contractibus ſupra centum libras ſcripturam interuenire debere aut publicam aut priuatam. Secunda qua cauetur, teſtes non eſſe admittēdos ad ea comprobāda quæ extra ſcripturam contractus conuenta fuerunt,ídque etiam ſi agatur de minori ſumma. Primæ partis hanc eſſe ſententiam teſtantur multi,quorum teſtimonia his chartis conſignabo: in primis D. Cuiacius in Paratit. Cod. Iuſtin. Tit. Depoſiti, vbi ait ex hac conſtitutione contractus ſupra centum libras qui habentur ſine ſcriptura, non conſiſtere, indéque effici vt hodie in Gallia nulli contractus nudo conſenſu perficiantur contra ius gentium,à qua tamen cōſtitutione ſacri arcaníque depoſiti cauſam excipi deſiderat Antonius Fontanonus Pariſienſis Curiæ Patronus, in tertia annot. ad Maſuer. à ſe Gallicè factum Tit. *des ventes & achapts*, ex hac conſtitutione, omnes contractus hodie in Gallia ſupra C. libris in ſcriptis fieri debere, nec poſſe per teſtes probari ait: idque ſtrictè ac religiosè obſeruari in eadem ſuprema Pariſienſi curia, etiam in caſibus fauorabilioribus affirmat. Author quoque additionum ad Ægidium Boidinum in artic. 36. conſtitutionis latæ à Franciſco Primo, anno 1539. Probationes factas per teſtes ſupra cētum librarum ſummam, nullius eſſe momenti teſtatur: idque adeo pro

certo atque explorato habuit noſtræ vrbis decus, Ioannes Philippus in ſuprema ſubſidiorum curia præſes integerrimus & doctiſſimus, vt in libris Reſponſ. Iur. illud quæſierit, an hodie in Gallia ex ea Conſtitutione ſublata cenſeantur teſtamenta nuncupatiua. Et cùm exceptio omnis regulam confirmet, rectè dicimus id perſpicuè confirmari ex eo Pariſienſi Placito, quod refert Papon. In tit. *des preuues & indices en matiere criminelle*, art. vlt. in nouiſſima editione: quo cautum fuit, vt locus non ſit Molinæę Cóſtitutioni in depoſito neceſſario, quod hoſpes dat hoſpiti, imò expreſſa extant hac de re placita eiuſdem Pariſienſis curiæ apud Ludouicum Charundam lib. 2. de Reſp. Tit. 52. & 53. & lib. 3. Tit. 75. & lib. 5. Tit. 27. Non tamen negauerim quin reſtringenda ſit illa conſtitutio, atque ita arctanda, vt in multis caſibus locum non habeat: iam enim inde exceptum eſſe videmus depoſitum neceſſarium Pariſienſis curiæ placito à Paponio relato: ob hanc rationé, quòd nulla in iſtiuſmodi negotio ſcriptura interuenire ſoleat, eadémque ratione idem dicendum cenſet magnus ille Cuiacius loco iam citato in omni depoſito: quamquam aliud definitum fuiſſe eiuſdem Pariſienſis curiæ placito anno 1575. teſtatur idem Charundas. Excipiam tamen, nemine, vt auguror, reclamante depoſitum illud ſubitaneum incendio, ruina, naufragio factum: Ecquis enim in eo ſcripturam poſtulet, in quo vix teſtes cõuocari liceat? Putarem quoque nó dari locum huic Conſtitutioni, vbi agitur de probando permutationis cõtractu, eo caſu, quo vterque ex litigatoribus rem alterius permutatam penes ſe habet, vt ac-

cidit in Præſidiali curia huiuſce vrbis, vbi qui ad permutationem teſtibus probandam admitti deſiderabat, fundum aduerſarij per aliquot annos poſſederat, aduerſarius quoque illius domum: ídque pro comperto erat. Quo caſu cùm inter noſtros interpretes receptum ſit, præſumptionem eſſe pro contractu permutationis, teſtium voces ad eam rẽ comprobandam admiſſæ fuerunt: Rectè, ni fallor. Ad probandam quoque venditionem ſine ſcriptura initam teſtes admittẽdos ex parte emptoris reſpondi, cùm conſtaret, eo, qui venditor dicebatur, adhuc ſuperſtite, poſſeſſionem huius rei ad poſſeſſorem tranſlatam fuiſſe, vidente eo, præſente, nec repugnante: ſoluta quoque ab eodem poſſeſſore fuiſſe tributa ea re priùs ſub eius cenſum relata. Si quis etiam contractum locationis & conductionis per teſtes probare velit, poterit eo caſu quo conductor rei, qua de agitur, poſſeſſionem penes ſe habebit, vt cenſet idẽ Charundas lib. 3. Tit. 51. Nec minus in hac ſequẽti ſpecie teſtiũ probationes admittemus: Qui debebat aureos centum, tempus ſibi ad ſoluendum prorogatum fuiſſe ad ſex menſes à creditore aſſeuerabat cum ſolutione vſurarum: idque teſtibus probandum ſuſcipiebat: Creditor contrà huiuſmodi probationes per teſtes admittendas nõ eſſe contendebat ex Molinæa conſtitutione, cùm ageretur de centum aureis: Admiſſa fuit probatio per teſtes, eò quòd non eſſet quęſtio de illis centum aureis, quos debitor non abnegabat, ſed tantùm dę vſuris illius temporis ad ſoluendum dati, quod nullo pacto ſupra ſummam centum librarum excurrere poterat. Eſt & alia ſpecies quam excipio ab ea

conſtitutione, nempe vbi contractus venditionis eſt quidem in confeſſo, ſed ſolùm controuerſia exiſtit de pretij modo, verbi gratia: Titius frumentum emit à Sempronio, idque penes ſe habet: fatetur Sempronius ſe id ei vendidiſſe: de pretio tantùm inter ſe altercantur, quod Titius octoginta aureorum, Sempronius verò centum eſſe contendit: an hîc admittemus teſtium probationes? ſic puto, quãdo contractus eſt in confeſſo, & cùm nulla ſit alia ratio expediendi negotij. Haud etiam facilè admiſerim teſtium probationes ad ea probanda quæ in inſtrumento continentur, ſi ipſum inſtrumentum falſum fuerit pronunciatum: qua de re dubitat Charundas lib. 3. Reſp. Tit. 53. atque id olim controuerſum fuiſſe ante Molinæam conſtitutionem, quamuis tandem Pariſienſis curiæ placito definitũ fuerit, & admiſſæ probationes. At hodie eadem dubitatio efficit ne prorſus eo caſu admittantur: nam & falſitatis crimen teſtium fidem minuit & ſuſpicionibus onerat, cúmque qui eo inſtrumento nitebatur omni iuris auxilio & beneficio indignũ præſtat. Non erit etiam locus huic cõſtitutioni in teſtamentis, vt cenſet idem Philippus, cui aſſentior. At quid in ſolutionibus? Scio fuiſſe hac in re aliâs addubitatum, ſed ſine cauſa: exactiorem enim probationem exigunt Romanæ leges in ære alieno diſſoluendo, quàm in contrahendo, ſaltem vbi ſcripturâ debitum conſtat, vt patet ex l. teſtium, & Authentica, Rogati, C. de teſtib. Quod cùm ita ſit, non ſunt admittendi teſtes in huiuſmodi ſolutionibus, ſi excedant centum libras. Qua in re animaduertere licet pragmaticorum verſutiã, qui vt admittan-

tur probationes per teſtes, ſolutiones minutatim concidere, & quaſi in fruſta ſecare conſueuerunt, vt diuerſæ ſolutiones appareant,vtque vniuſcuiuſque ſummæ, quæ Conſtitutionis modum nō excedit,ſua fiat probatio,iuxta legem, ſi idem. D. de iuriſd.& l. ſancimus. §. ſi quis autem per diuerſa. C. de donation.

*Quàm malè obſeruetur ius ciuile in Gallia,exemplis aliquot comprobatur.*

## CAP. III.

NOn fore omnibus grata quæ nunc ſcribam, ferè auguror.At mihi ſatis,ſi vera :dum ijs ſolùm complacere ſtudeo qui veritatem amant , ad quam ſemper collineare ſoleo . Nullum hodie regnum quod incerto magis iure vtatur , quàm hoc noſtrum.Huius rei cauſa non vna:ſed præcipua,infrænis illa licentia magiſtratuum atque iudicum in controuerſijs diiudicandis, quam ſibi arrogāt malo more,dum leges Romanas, non quaſi leges ,ſed quaſi nudas rationes ſibi ſequendas eſſe autumant: dúmque pro arbitrio eas cōculcare, & ab ijs impunè reſilire ſe poſſe arbitrantur , leui de cauſa, imò etiam ſine cauſa. Huius mali origo præcipua à ſummis tribunalibus,ad quorum exemplar ſeſe cōponunt maiora ſubſellia.Ijs quidam eam tribuunt authoritatē,vt velint ab ijs iura ac leges condi poſſe:latas verò aut à ſe, aut ab alijs mutari , ab iiſdem abrogari,& aboleri. Atque eò ventum, vt nihil ſit aut in iure ciuili Romanorum , aut in Principum

noſtrorum conſtitutionibus ita clarum aut indubitatum, quod nō tandem peruertatur ac peſſumdetur, quantumuis reclamantibus ac conquerentib⁹ iuris ſtudioſis: quibus id tādem eueniet ſine dubio, quod olim ijs à Caligula minitatum, vt nihil quicquam reſpōdere poſſint. Scio ſummorum horum iudicum magnam eſſe authoritatem, non tamen eam, quæ (vt de conſuetudine dicitur) rationē vincat aut legem: & legem dico, non Gallicam modò, ſed & Romanam, quæ apud nos non ampliùs Romana, ſed Gallica. Receptæ in Gallia communi quodam conſenſu & principum noſtrum authoritate Romanæ leges multis abhinc annis, etiam ante tempora Pepiuingiorum: regnante enim Dagoberto 2. circa annum 720. eas fuiſſe in vſu apud Gallos, patet ex his Aimoini verbis lib. 4. de reb. geſt. Franc. cap. 28. *Idcirco in publico Francorum conuentu à quibuſdam proceribus ſecundùm leges Romanas (quæ ſanciunt à paterna eos decidere hereditate debere, qui noluerint interfecti necem vindicare) omnibus paternis expoliati ſunt bonis, atque inanes relicti.*

Non eandem tamen in omnibus huius Galliæ prouincijs vim ac poteſtatem habent: in ijs quidem quæ iure ſcripto vtuntur, certiſſimū eſt eodē modo ſeruari ac cuſtodiri debere, ac ipſas leges Gallicas in omnibus ijs rebus de quib⁹ nihil regijs conſtitutionibus ſancitū aut definitū reperitur, lōgóve vſu aut conſuetudine aliter obſeruatū: non quaſi Rex Franciæ ſit ſubditus Imperatori, ſed quia ei placet vt in ſuo regno diuinæ illæ leges, quaſi cum ipſa æquitate ac iuſtitia natæ, in ſcholis & in iudicijs locum obtineant. Quod omnium optimè expreſſit

Vetus ille Monſpelienſis Doctor Petrus Iacobus in ſua Practica. Rubr. 33. De præiudicial. act. in rem: per quam quæritur, an aliq. ſit ſer. nu. 21. Cuius verba nõ grauabor adſcribere. *Verùm eſt*, inquit, *quòd aliqua iura per Fredericum condita, fuerunt quaſi textualiter repoſita in Cod. Iuſtiniani, pro Authenticis, & ſunt admiſſa in lectura ordinaria, per omnia legum ſtudia. Et rex Franciæ permittit quòd obſeruentur. Et placet populo ſuo in quibuſdam locis ea pro iure obſeruari, non ex aliqua ſubiectione, ſeu mandato Frederici, (cui nunquam ſubiecti fuerunt) ſed fœderati fuerunt, & hodiè etiam fœderati ſunt Imperatori. Et quod dictum eſt de legibus Frederici, idem poteſt dici de libris Iuſtiniani Imperatorũ, ſcilicet, de libris Digeſtorum Cod. & Inſt. & de iuribus in eis contentis, ſcilicet quòd non ſeruantur, nec frequentantur ex ſubiectione, ſed ex quadam conſuetudine.* Hæc Iacobus, barbarè quidem, ſed tamen verè. Ex quibus patet leges Romanorum in quibuſdam huius regni Prouinciis, ciuitate nõ minus fuiſſe donatas, quàm olim Athenienſes apud Romanos: eáſque vſu, conſuetudine, populi conſenſu, & principum authoritate hodie obtinere. Valeant igitur qui illas leges pro ratione tantùm apud nos valere volunt, non pro authoritate. Ratio quidẽ eas induxit tam inter nos, quàm inter alios populos: ſed eas deinde authoritas firmauit, nõ quidem imperatoria, quæ nulla apud nos, ſed Frãciæ Regum, qui nos ijs vti voluerunt, & volunt etiam hodie. Inde illa frequens diuiſio prouinciarũ quæ iure ſcripto, & quæ conſuetudine vtuntur; etiam regum noſtrorum conſtitutionibus comprobata. Inde expreſſa hac de re priuilegia quibuſdam huius regni prouincijs à noſtris principibus nomi-

natim conceſſa,vt iure ſcripto vtātur, quemadmodum antea vti conſueuerunt. Vnde hæc conſtitutio Caroli 8. *Et premierement que noſtredit pays de Languedoc ſoit touſiours regi & gouuerné par forme de droit eſcrit, ainſi qu'il a de touſiours accouſtumé; ſans aucune choſe y muer ou innouer.* Inde leges latæ de diſputationibus pro ſuggeſtu, in iure ciuili & canonico: inde tot priuilegia vniuerſitatibus data, ſalaria & ſtipendia antecesſoribus conſtituta, honorum tituli ijs propoſiti qui Romano iuri dant operam. Inde ſeuera eorum examina in iure ciuili,qui in iudicum ordinem recipiuntur. Quæ non ideo cauta,vt iuuenes in ſcholis ſtultiſſimi fiant, dum nihil in eis videant eorum quæ in vſu ſint habituri, vt loquitur Petronius. Quod ſanè fieret,ſi nullius authoritatis apud nos Romanæ leges,quę ſolæ in ſcholis & docentur & diſcuntur. Nam vt eatenus valeant,quatenus ratione ſuffultę ſint,non eſt ſatis.Ruent enim ſtatim, niſi authoritatis clauo figantur, nemine non exiſtente, eorum ſaltem qui ſupremorum iudicum titulis inflati tumeſcunt, qui non rationem iudicij ſui, quantumuis praui,malè coctam,iuriſconſultorum authoritati anteponat.

Nunquam ſanè certent Romanæ leges cum ipſo vſu & legitima cōſuetudine; quod Caroli Pulchri conſtitutione aliquādo vetitum: minùs etiam cum principum noſtrorum edictis atque ſanctionibus. Præterea vbi mutata ratio, quæ legibus cauſam dedit,ibi etiam mutentur leges, & in earum locū ius aliud ſubdatur. At in cæteris ſint ſartæ tectæ; ſint ſacroſanctæ,alioquin ſi pro libidine iura benè conſtituta labefactare,ſi ea quæ rationis ſpeciem habe-

rè videntur ad ſubruendas leges, quaſi machinas quaſdam admouere liceat, eáque ſequi in iudicando, quæ placebunt vnicuique, quamuis in veteris legis interpretatione nulla exiſtat aut dubitatio aut controuerſia: quæſo quid aut tutum aut certum inter nos eſſe poterit? Id tamen non ſemel factū fuiſſe ex quibuſdam exemplis quæ nunc proponā perſpicuum erit. Certum eſt illud atque indubitatum inter omnes, quamlibet rem cenſeri ipſo iure allodialem, non autem feudalem aut emphyteuticariā; eo quòd omnia præſumantur libera, vt videre eſt apud Alciatum in regul.2. præſump.3. & in annotatione Ioannis Nicolai ad eundem, vbi confirmatur illa regula multis Doctorum auctoritatibus & reſponſis, vt Alexandri, Decij Caſtrēſis, atque aliorū. Inde fit, vt ſi contendat Dominus iuridicus cum ſuis ſubditis de dominio directo, ipſi domino incumbat onus probandi, cùm ſubditorum prædia libera cenſeantur præſumptione iuris. Nec quicquā mutat, ſi iueniantur in ſua iuriſdictione alia prædia emphyteuticaria, quorum dominium directum ad ſe pertineat: potuit enim quædam in emphyteoſin dare, vt etiā poſſunt ſubditi ipſius. Nec ex eo quòd quædam data reperiuntur, rectè inferri poteſt omnia fuiſſe data, niſi vbi conſtat Dominum in ſolo ſolum ius habere, quòd vulgò dicimus, *Eſtre ſeigneur foncier*. Tunc enim admittimus ea omnia quæ ſunt intra territorium, eſſe cenſualia, alioquin pro libertate prædiorum ſemper iudicandum. Hoc ius ita bene conſtitutum, ſubuerſum fuiſſe comperimus Tholoſanæ Curiæ placito, anno 1528. quo omnia prædia ſita in territorio & iuriſdictione Montil-

frini cenſualia & emphyteuticaria fuerunt pronũtiata ſola iuris præſumptione, in gratiam Domini Iuſtitiarij ſiue iuridici, ſi vera quæ ſcripſit Papon. In Tit. *Des droicts Seigneuriaux*, ar. 3. Vnde ingens præiudicium toti prouinciæ creatum, eiúſque rei cauſa diuerſæ multorum querimoniæ, quo factum vt ad conſequentias non fuerit tractum huiuſmodi decretum. Receſſum quoque à Papiniani reſponſo in hac fide commiſſaria ſubſtitutione. *Si vterque filius meus (quos inuicem ſubſtituo) ſine liberis diem ſuum obierit, omnem hæreditatem ad neptem meam Claudiam peruenire volo*. Nã defuncto altero, ſuſcepto vno filio: nouiſſimo autẽ ſine liberis, eius portionẽ ad Claudiã pertinere, non autem ad fratris antea defuncti filiũ, reſpondit Papinianus in l. heredes, nu. 57. ſ. cùm ita. D. Ad Senatuſc. Trebell. At Senatus Tholoſanus in ſimili ferè ſpecie prædefuncti fratris filium prętulit ſubſtituto, quamuis nullum eſſet in toto teſtamento indicium ne quidem minimum iſtius volũtatis: quorum placitum hac de re latum inter quoſdam ciues Monſpelienſes me vidiſſe memini. Sed illud pernicioſiùs, quòd huiuſmodi placita ab alijs plerunque etiam vlteriùs, & ad caſus aut longè diſſimiles, aut ſaltem in quibus diuerſa ineſt ratio, in exemplum trahuntur, vt in Præſidiali curia huiuſce vrbis non ita pridem accidit in eadem ferè ſpecie, in eo tantùm diſsimili, quòd filia ſubſtituta vtrinq; erat ei coniuncta de cuius ſubſtitutione agebatur: frater verò, cuius filius cùm ſubſtituta contendebat ex vno tantùm latere. Quo caſu ab inteſtato etat potior ſubſtituta; ob ídque in obſcura defuncti voluntate, potior quoque habenda erat in ſubſtitutione

tione iuxta ea quæ à noſtris interpretibus definiun-tur in ſpecie legis penultimæ. C. de impuber. & al. ſubſt. Vbi ſi pater ita duobus liberis ſubſtituerit. *Si vterque filius deceſſerit, ille mihi heres ſit*, ait Iuſtinianus non ante admitti ſubſtitutum; quàm vtroque filio defuncto: Quod ſanè iuri & æquitati conſentaneum: Id tamen non probant interpretes in eo caſu quo is fuit ſubſtitutus qui ſolus defuncto heredi ſuccederet ab inteſtato: tunc enim eo herede defuncto, cohærede adhuc ſuperſtite admittunt ſubſtitutum: Hanc ſiquidem eſſe communem interpretum ſententiam teſtatur Ripa in d. l. heredes mei, §. cùm ita nu. 120. D. ad Trebell. & Franciſcus Mantica in lib. de coniect. vlt. volunt. lib. 11. Tit. 5. nu. 11. Sic etiam in propoſita ſpecie quamuis cenſuiſſet Papinianus, atque etiam cum eo Senatus Tholoſanus cohæredis filium ſubſtituto præponendũ eſſe regulariter, excipiendus erat ex ea regula is caſus in quo ſubſtitutus ſolus erat ab inteſtato heres futurus nulla facta ſubſtitutione. Diuiſæ fuerunt iudicum ſententiæ, auctóque conſilio tandem contra ſubſtitutum pronunciatum, malè omnino meo quidem iudicio, & cõtra iuris rationem. Iam ſubijcio aliud exemplum: Nullum eſt crimen quod non ex iure noſtro vicennij præſcriptione tollatur iuxta l. quærela. D. ad l. Cornel. de falſ. quod etiam obtinet iure canonico, cap. cùm venerabilis. de except. quædam etiam breuiori ſpatio, quinquennij ſcilicet vt adulterium, peculatus, crimẽ iniuſtæ mortis ex Senatuſconſulto Sylaniano, At nullum longiori tempore, idque certiſſimum. Nam legem vltimam D. de leg. Pomp. quæ dubitationem

mouere poterat,explicat.D.Cuiac.Obſ. lib. 4. cap. 14.quod etiam receptum fuiſſe in Gallia, & ſupremarum curiarum placitis cõfirmatum, teſtatur Imbertus inſt.Forenſ.lib.3.in cap.De præſcr. xx.an. in mat. crim. eáque placita refert Paponius in Tit. *de preſcript. de pœn. crimin.* art. 1. vnum videlicet Burdigalenſis, curiæ duo Pariſienſis. Hæc cùm ita ſint, fuit tamen aliâs in Parlamento Biterrenſi pro roſtris habitum, in delictis ac criminibus, nullam eſſe præſcriptionem apud Gallos. Quod ſanè quibus fundamentis atque authoritatibus nitatur, nondùm inuenio. Vereor ne ſit illud, *Sit pro ratione voluntas*. Mirum eſt etiam quod teſtatur Paponius de ſuprema curia Tholoſana in cap. vlt. De ſucceſſ.legit.in nouiſſ. edit. multis nimirum placitis eiuſdem curiæ ita definitam & moderatam fuiſſe ſucceſſionem, collateralem, vt ſit hodie ius repræſentationis inter patruorum & auunculorum liberos cum ipſis patruis & auunculis defuncti cõcurrentes: vtque inter eos valeat illa regula, *Paterna paternis: materna maternis.* Scio hæc duo obtinere quidem in quibuſdam ex ijs prouincijs quæ conſuetudinario iure vtuntur, in quibus de vtraque re extant expreſſæ conſuetudines, vt in ducatu Burgundiæ & aliis quibuſdam,nec tamen omnibus, vt videre eſt apud Chaſſan. in tit. 7. *Des ſucceſſ.* §.10. in pr.& nu.35.& in §.8. in princ. At in ea Galliæ parte quæ vtitur iure ſcripto,non video qua ratione duabus hiſce regulis locus eſſe poſſit:pugnant enim cũ perpetua iuris noſtri ratione & veteris & noui. Nã antiquo iure non erat ius repræſentationis inter collaterales,neque locus huic regulæ, *Paterna pater-*

*nis*,&c.inter vllos, nequidem inter fratres. Hodie ex nouis Iuſtiniani Conſtitutionibus eſt tãtùm repręſentatio inter fratrum filios tantummodò,quãdo cum patruis,id eſt cum fratribus defuncti concurrunt, non verò vltra: neque adhuc vllus interpres tam imprudens aut impudens inuentus qui ius illud vlteriùs producere tentauerit, vt patet ex authent. *Poſt fratres*: & ex doctorum commentarijs in eand.C. de legit.hered. Ex iiſdem conſtitutionibus inter fratres tantùm, ex diuerſis matrimonijs procreatos,locus eſt huic regulę *paterna paternis*,&c. quam tamen interpretes porrigunt ad fratrum filios,ſed non vltrà: vt docuimus in tractatu de ſucceſſ.ab inteſt.Quid igitur ſit cauſæ,cur in ſacroſancto illo SenatuTholoſano duæ regulæ à iuris ratione alieniſſimæ receptæ fuerint,non video. Nam quæ legibus conſuetudinariis cauentur, ſcimus eſſe ſtricti iuris, nec trahi ad alias prouincias, ne quidẽ ad eas quæ non vtuntur iure Romano, quando nihil aliqua de re apud eas expreſſum exiſtit. Vt verũ fatear, ſemper mihi ſuſpectum fuit teſtimoniũ illud ſiue Paponij, ſiue Durantij, Præſidis Tholoſani,in cuius memoriis ſe illud repetiiſſe teſtatur Paponius. Nam de Senatu Tholoſano,in quo tot tantique viri,& in iure apprimè docti, tale aliquid credere, religio eſt. Porrò vix probare poſſum quod quibuſdam viris, ſummi illius Senatus Pariſiẽſis in mentem venit, vt actio in rem, ſiue ſimplex, ſiue mixta cum perſonali, apud eum ſolum iudicem exerceatur, in cuius iuriſdictione res ſita eſt, non etiam apud eum in cuius territorio reus habet domicilium,vt refert Papon.in tit.de iuriſdiction. ca.

56.in nouiſſ. edit. quamuis apud vtrumq; agi poſſe, cautum ſit ciuili & pontificio iure,l.vlt.C. vbi in rē act.exerc.deb.cap.ſane.extr.De for.comp. atque etiam in Gallia vſu receptum, vt patet ex Maſuerio tit. de petitor. in princ. & multis eiuſdem Senatus Pariſienſis placitis antea confirmatum, vt teſtatur Paponius eod. loco. Ratio autem qua præcipuè ius illud nouum inducere tentarunt contra veteris & perpetui iuris authoritatem, quo pactò ſtare poſſit, non video. Nam ſi ideo apud ſolum iudicem illius loci, vbi res ſita eſt, agendum eſſe cenſent, quia non facilè poſſit apud iudicem loci vbi res ſita eſt, ſētētia lata à iudice domicilij executioni mādati, nonné conuerti poreſt illud argumentum, & in eos retorqueri? Nam eadem ratione dicetur apud ſolum iudicem domicilij agendum eſſe, quia ſi apud iudicem loci, vbi res ſita eſt, actum fuerit, nō poterit ſententia ad executionem mandari apud iudicem domicilij. Imò poterit in vtroque caſu fieri executio, petita venia alterius iudicis: ideóque non eſt cur huius rei cauſa vlla mutatio fiat. Quòd ſi dignitatis habēda ſit ratio, dignior eſt perſona quàm ipſa res, ideóque in loco domicilij potius agendum eſſet quàm in eo vbi res eſt. Hoc autem exemplum eo magis protuli, quod idem in præſidiali curia huiuſce vrbis factitatum fuiſſe memini, me reclamāte, eo etiam ex litigantibus mulctato, qui actionem merè realem propoſuerat apud iudicem domicilij. Tametſi ènim id ius in Pariſienſi curia immutatū fuiſſet, non tamē continuò nobis ſequēda eadē iudicādi ratio cōtrà iuris regulas niſi prius in Tholoſana curia, ad cuiùs modū ſeſe minora ſubſellia cō-

ponere ſolt, idem admiſſum fuiſſe appareat. Cenſeo igitur vt paradoxon illud ( ita enim à Paponio appellatur)ſemper paradoxon maneat. Ad extremũ illud addo ab omni iure & æquitate alienum videri quod in Senatu Tholoſano obſeruatur hodie, vt nimirum inferioris iudicis ſententia de crimine lata,qua quis fuit capitis condemnatus,executioni mandari nequeat,donec Senatus diiudicauerit, an iure condemnatio facta fuerit : etiam eo caſu, quo reus monitus ab ipſo iudice,vt ad maiorem iudicẽ appellet, declarat nolle ſe prouocare, ſed pœnam ſibi impoſitam ſubire:& quo nemo ipſius nomine appellationem interpoſuit. Rationes autem, quibus nitatur,hoc ius antea inauditum operepretium eſt intelligere : Quia nimirum iure ciuili cautum eſt, vt pro condemnato etiã inuito poſſit quis appellare:Vnde id eliciunt,iudicem inferiorẽ ſemper aliquem ſuſſitare debere, qui pro eo etiam inuito prouocet, cùm non audiatur perire volens. Cautum eſt præterea Franciſci Primi Conſtitutione,anno lata 1539. art. 163. vt iudices inferiores,criminum reos quæſtioni ſubdere poſſint, ſi non fuerit ab ijs prouocatum. Vnde efficitur quando omnis exceptio firmat regulam, vt ſententiam condemnationis definitiuam iudex non poſſit exequi, quãuis ab ea non fuerit prouocatũ. Sed quàm leues ſint iſtiuſmodi rationes, patet ex eo quod ait Vlp. in 6.vnic.§.vlt.D.nihil innou.appell.int.vbi tractat, An eius pœna propter appellationem differẽda ſit, qui ex pluribus criminib⁹ condẽnatus,propter quędã appellauit,propter alia verò,minimè,*Et ſi quidem,* inquit,*grauiora ſunt crimina,ob quæ appellatio interpoſita*

*eſt, leuiùs autẽ id propter quod non appellauit, recipienda eſt omnino appellatio, & differẽda pœna. Si verò grauiorẽ ſententiam meruit ex ea ſpecie, ex qua non eſt appellatum, omnimodo pœna imponẽda eſt.* Vnde ita licet argumẽtari: Si pœna imponenda eſt etiã eo caſu quo eſt appellatum, quando nimirum quis ex pluribus criminibus condemnatus appellauit de leuioribus, non autem de grauioribus, multò magis executioni mandanda erit ſententia, vbi nulla prorſus interpoſita fuit appellatio. Colligitur etiam ex l. non tantùm. D. de appellat., Reum capitis damnatum ad ſupplicium duci iuſſu inferioris iudicis, dũ ait Vlpianus, non ſolùm reum, ſed etiam alium quemuis audiendum eſſe pro eo appellantem, dum ad ſupplicium ducitur.

Præterea nuſquam in iure quæſitum eſſe inuenimus, ſi capitalis criminis damnatus non appellauerit, aut alius pro eo an iudex inferior ſupplicium differre debeat, donec ſuperius tribunal, an rectè, aut perperàm condemnatio fuerit facta pronuntiauerit. Imò illud tractant iuris authores: An is qui capitis dãnatus fuit prouocare poſſit. Hãc quæſtionẽ proponunt ac definiunt Impp. Diocletianus & Maxim. in l. eos. C. de appellat. Et Impp. Arcadius & Honorius in l. addictos, C. eod. quæ lex poſita eſt etiam ſub titulo. De Epiſco. aud. in qua illud præterea definitur, *nemini licere ſupplicio addictos per vim atque vſurpationem vindicare aut tenere: poſſe tamen pro iis prouocare, modo tamen tempora ſuffragentur*, quæ poſteriora verba ſunt notanda: nam nec poſt illa quidem tempora cenſet idem Senatus à iudicibus inferioribus condemnatos ſupplicio affici poſſe. Inuenias

quoque in iure noſtro grauiorum criminum reos ſtatim ſupplicio afficiendos eſſe appellatione eis denegata, l.cõſtitutiones D.de appellat. Imo quod magis mirêre, ſancitum fuit ab Imperatoribus Cõſtantio & Conſtante, ne homicidarum, veneficorum, maleficorum, adulterorum, & eorum qui violentiam intulerunt, appellationes recipiantur, ſi fuerint & conuicti & confeſſi, l. 2. C. quor. appell. non recip. quod etiam ideo notandum quia apud eundem Senatum inferior quidam iudex in diſcrimẽ fuerit adductus, eò quòd maleficij damnatam, cum neque ipſa appellaſſet, quamuis hac de re tam à iudice admonita, nec quiſquam pro ea, ſupplicio affeciſſet. Quod ex aduerſo affertur argumentum ex l. non tantùm, D.de appellat. vix eget refutatione, non enim dicit Vlpianus, iudicem procurare debere, vt quis prouocet pro condemnato, ſed tantùm vt aliquem prouocantem pro condemnato audiat. Nec rectiùs colligitur ex dicta Conſtitutione Franciſci Primi ſententiam definitiuam de crimine latam non poſſe executioni mandari, eò quòd id ſolum ei conceſſum ſit in ſententia interlocutoria de quæſtione lata. Nam hæc exceptio nõ eſt de illa regula: ſed potius de ea qua cauetur, ne habeatur ratio appellationis interpoſitæ à ſententia interlocutoria.

Si quis autem requirat quid ſentiant hac de re Doctores atque Pragmatici noſtri: dicam nũquam ab iis dubitatum fuiſſe, An ſententia definitiua ſuper crimine lata executioni mandari debeat, ſi nõ fuerit ab ea appellatum: ſed id tantùm, An intra decem dies qui dantur ad appellandum, executioni

mandari poſſit aut debeat, eo caſu quo non appellatur. In qua quæſtione conſentiunt omnes, Iudicẽ inferiorem ſupplicium de condemnato ſumere poſſe, etiam intra illos decem dies ad appellandum conceſſos, ſi non fuerit appellatum. Id autem paſſim obſeruari in tota Delphinatus Prouincia, teſtatur Guido Papius in deciſ. quæſt. 75. & in Occitana Prouincia Stephanus Ranchinus pater meus, in notis ad eandem quæſtionem Guidonis Papij, refragante tamen Senatu Tholoſano, qui tunc temporis ſupplicium de condemnato ſumi intra decem dies ægrè ferebat, nunc verò, ne quidem poſt lapſum decem dierum id fieri patitur.

*An filius vel filia inuiti ad nuptias adigi poſſint parentum imperio.*

CAP. IIII.

VT hanc queſtionem pertractem, efficiunt duo inſignes loci diuerſas ſententias exprimentes, vnus Agellij, alter Quintiliani. Primus in cap. 7. lib. 2. dum tractat de officio liberorum erga parentes, patri, ea quæ in medio ſunt imperati, id eſt, quæ per ſeſe, neque inhoneſta ſunt, neque turpia, à filio parendum eſſe cenſet, veluti, inquit, *ſi vxorem ducere imperet, aut cauſas pro reis dicere*, addit poſtea, *Sed enim ſi imperet vxorem ducere, infamem, propudioſam, criminoſam, aut pro reo Catilina aliquo, aut C. Bibulo, aut P. Clodio cauſam dicere, non ſcilicet parendum, quoniam accedente aliquo turpitudinis numero, deſinunt eſſe per ſeſe hæc media atque indifferentia*. Alter verò filium ita loquentem inducit. Declamat. 376. *Vxorem*, inquit, *nõ ducis, quam volo. Quid tum? neſcis noſtri arbitrij eſſe matrimonia. Aſ-*

*ſectus noſtri vobis non ſeruiunt. Non potes efficere imperio, vt vel amem quam velis, vel oderim. Matrimonium verò tum perpetuum eſt, ſi mutua voluntate iungitur. Cùm ergo quæratur; mihi vxor, ſocia thori, vitæ conſors, in omne ſeculum, nutu eligenda eſt.* Iam quid legũ auctores hac de re definierint, videamus: habebit apud eos Agellij ſententia in filia locum, Quintiliani verò in filio. Conueniunt enim cum Agellij verbis verba hæc Vlpiani in l. *ſed quæ 12, D. de ſponſal. Tunc autem ſolùm diſſentiendi à patre licentia filiæ conceditur, ſi indignum moribus vel turpem ſponſum ei pater eligat.* Quamuis igitur ſicut in nuptijs, ita in ſponſalibus filiam conſentire oporteat, vt ait Iulian. in l. *ſponſalia* 11. *D. eod,* non poteſt tamen diſſentire, niſi ob eam cauſam quam ſubiicit Vlp. Poterit igitur inuita & repugnans nuptui dari, ſi diſſentiat ſine cauſa: & ſanè in nuptijs filiarum in ſacris poſitarũ patris præcipuè expectatur arbitrium, ex conſtitutione Impp. Honorij & Theodoſij, l. *in coniunctione C. de nupt.* Sed pontifices etiam ſine cauſa filiabus diſſentiendi facultatem tribuunt, ac patri præcipiũt ne eas inuitas & renitentes ſocient viris. *Can. de nuptis. cauſ. 3. Quæſt.* 2. filiis autem liberam diſſentiendi facultatem concedunt iuris auctores, vt Paulus nominatim in l. *filioſ.* D. *ſponſal.* Et Impp. Diocl. & Maxim. in l. *nec filium C. de nupt.* Idque confirmat Hormiſda Romanus Papa in Can. *tua ſanctitas* 31. *Quæſt.* 2. ſed durum omninò quod poſtea in eodem canone adiicit. Poſſe patrem filium nondum adultum, qui nullum habet conſenſum, cui velit in matrimonium tradere. Nec poſſe filium vbi peruenerit ad perfectam ætatem, diſſentire, aut matrimo-

nij vinculum diſſoluere. Quod idem totidem verbis repetitur in cap.1. *De ſpon. impuber.* apud Gregor. pauculis admodum immutatis, vnde alterutrius capitis inſcriptio corrigenda, & Honorij nomen in vtroque aut *Hormiſdæ*, reponendũ. Veteres tamẽ codices fidem faciunt, in vtroque legendum eſſe *Hormiſda*, vt iã animaduertit doctiſſimus Auguſtinus. In his autem capitibus receſſum à iure ciuili, quo impuberis nuptiæ non ſunt nuptiæ, nec valent vt ſponſalia, quamuis ſi præceſſerint, ſponſalia per nuptias nõ vitientur ex l. *quæſitum.* D. *de ſponſ.* ad quã ne audias Budæũ, nec etiã Alciatũ Parerg lib. 12. cap. 7. qui collatas nuptias interpretantur dilatas & reiectas in aliud tẽpus. Sed Accurſium & D. Cuiacium Obſ. lib. 11. cap. 15. & ad legem vltimam, *De locat. prædior. ciuil. lib.* 11 *cod.* qui pro, *Collatæ* reponit, *Collocatæ*. Rectiſſimè. Et ſanè collocatas, id eſt perfectas, & celebratas fuiſſe nuptias in ea lege indicat ſatis deductio in domum, de qua fit in ea mẽtio. Nec quẽquam moueat quòd ibidem dicitur eam fuiſſe in domo, locó nuptæ. Id enim ideo dicitur, quia ante 12. annum nocturna illa thori feſtiuitas peragi nequibat, quam ſolam Petronius atque alij nuptias appellant etiam ſine matrimonio. Ad extremum id animaduertendum cenſeo, quòd arctius eſt hodie matrimonij vinculum quàm eſſet olim, vtpote in quod diuortium non incurrat ex iure canonicò, eo magis parentes imperio quod eis reliquum eſſe poteſt in liberos, ad collocandas nuptias aut ſeſe voluntariò abdicare, aut temperanter vti debere. Ob ea quæ ex huiuſmodi coactis matrimonijs oriri ſolent incommoda, ne dicam flagitia.

## *An teſtamentum perfectum per poſterius imperfectum tollatur.*

## CAPVT. V.

VVlgo notum eſt Teſtamentum perfectum nō tolli per poſterius imperfectum, niſi in duobus caſibus. Nimirum ſi ſit teſtamentum militis; aut ſi in poſteriori veniētes ab inteſtato ſcripti fuerint heredes, l.2.D.de iniuſt.rup.l.*hac conſultiſſima*.§.*ſi quis*.c.*de teſt*. Imò nec tolli etiam teſtamentum in ſcriptis per teſtamentum nuncupatiuum *ex l. noluimus*.c.*de teſtamentis*. Inde quæritur, an tollatur per poſterius æquè perfectum, ſi ex eo adita non fuerit hæreditas puta, hęrede ſcripto ante aditionem defuncto aut repudiāte. Inſignis extat hac de re apud Quintilian.declamatio,cuius rationes ſi ſequamur, pro primo teſtamento pronuntiandum erit: quas quidem in hac pagina propter elegantiam integras perſcribam. Sic igitur in declamat. 308. quæ inſcribitur: *Duo teſtamenta*, loquuntur heredes ſcripti in primo teſtamento qui de hereditate contendebant cum venientibus ab inteſtato. *Proximum locum à teſtamentis habent propinqui, ſed ita ſi inteſtatus quis ac ſine liberis deceſſerit. Non quoniam vtique iuſtum ſit ad hos peruenire bona defunctorum, ſed quia relicta, & velut in medio poſita nulli propiùs videntur contingere. Nihil eſt igitur quod nos onerare tentent nomine iſto propinquitatis, iactatione ſanguinis & naturæ, homines binis iam tabulis exheredati.* Sequitur poſtea. *Non id arguunt vtrum non fecerit teſtamentum, ſed inteſtatum volunt videri eum, quia non ſemel fecerit: ſcripſit, inquiunt alteras tabulas, Apparet quàm noluerit inteſtatus mori.* Deinde ſubiicit. *Nec pertinet ad nos quòd fuerit vltimum, ſed quòd ſit: Si*

*ius vtrique teſtamento conſtaret fuiſſet illud vltimum quod poſtea factum eſt. Illo verò ſublato incipit vltimum eſſe, Quod relictum eſt, vt intentione curſus, qui proximus ab vltimo fuerit, ſi deſiſtat vltimus, in nomen illius locúmque ſuccedit.* Rurſus addit, *in comparatione ſumma non recuſabo quominus vel propinquos iſtos amicitiæ conferatis: Per ſe mihi, vel ſanctius nomen amici videtur: hoc enim proficiſcitur ab animo, hoc proficiſcitur à propoſito: iſtud dat caſus, conditio naſcendi & quæ non ſponte noſtra eliguntur. me heredem eſſe amicus meus aliquando voluit, vos nunquam.* Infert tandem, *vos pœnam quandam propinquo veſtro conſtituitis: vt inteſtatus decedat vt bona tanquam relicta, tanquam deſerta inuadatis.* Sunt hæc omnia multi ſanè ponderis, quæ nunc ad iuris noſtri regulas exigenda atque ex ijs diiudicanda. Nihil valuerunt iſtiuſmodi rationes apud iuris authores. Ait enim Neratius in l. *Pater filio* 54. D. *de hered. inſtit.* vt ſuperius teſtamentum rumpatur, ſufficere ita poſterius factum eſſe, vt aliquo caſu potuerit ex eo heres exiſtere. Pomponius quoque in *l. cùm in ſecundo,* D. *de iniuſt. rupt.* ſuperius teſtamẽtum rumpi affirmat per poſterius, quamuis in hoc ſub conditione heres inſtitutus ſit, ſi modò conditio exiſtere potuerit, licèt nõ extiterit. Sed id Iuſtinianus expreſſit ita clarè in §. poſteriore. Inſt. tit. Quib. mod. teſt. infir. vt nullus iam dubitationi locus eſſe poſſit: ait enim, Poſteriore teſtamento quod iure perfectum eſt ſuperius rumpi, nec intereſſe, extiterit aliquis heres ex eo an non: hoc enim ſolum expectari, an aliquo caſu exiſtere potuerit: ideóque ſi quis aut noluerit heres eſſe, aut viuo teſtatore, aut poſt mortem eius, antè quàm hereditatem adiret, deceſſerit, aut con-

ditione ſub qua heres inſtitutus eſt, defectus fuerit, in his caſibus patremf. inteſtatum mori. Aſſignat deinde hanc rationem, quæ ijs quæ à Quintiliano afferuntur ex aduerſo opponi debet. *Nam*, inquit, *& prius teſtamentum non valet, ruptum à poſteriore, & poſterius æquè nullas habet vires cum ex eo nemo hæres extiterit*. Videndus quoque Caius Inſtit. lib. 1. Tit. 11. de exhered. liber. Maior autem dubitatio exiſtit, quando in poſteriori teſtamento ij heredes ſcripti inueniuntur qui inſtitui nequeũt, veluti incapaces, quales ſunt hodiè in Gallia, naturales liberi. Cum enim non cenſeatur hoc caſu prius teſtamẽtum ruptum per poſterius, dicendum videtur prius remanere: ait tamẽ Papinianus heredibꝰ ſcriptis in priori teſtamento tanquam indignis auferri hereditatem, eò quòd non habeant ſupremam teſtatoris voluntatem: itàque cenſuiſſe Senatum Romanũm in l. *cum quidam. D. de his quæ vt indig. aufer.* In his portò, quę diximus, ſi quis fortè vſum fori requirat, dicam nihil diuerſum ſequi iudices in controuerſijs diiudicandis. ijs enim ſemper pro legibus ſunt doctorum deciſiones etiam aduerſus leges Doctores, autem communi quodam conſenſu ita definiant teſte Iulio Claro *Recept. ſent. lib. 3. §. teſt. quæſt. 96.*

*De ſuppoſitione perſonarum in teſtamentis condendis.*

CAP. VI.

INter alias ſolemnitates quæ in teſtamentis condendis iure noſtro requiruntur, illud exigitur ex conſtitutione Imperatorum Diocletiani & Maximiani, vt teſtes præſentem teſtatorem videant conſpiciántque, l. *ſi non ſpeciali C. de teſtamentis*, loquentem enim audire non eſt ſatis, niſi is qui auditos lo-

quentes intueatur, ob vitandas ſubiectiones ſuppoſitionéſque & fallacias, quæ in huiuſmodi rebus interuenire ſolent, imò & ferè neceſſum eſſet, noſci teſtatorem ab ijs qui ei perhibent teſtimonium atque etiam à tabellione. De tabellione ſanè id expreſſum eſt conſtitutionibus Gallicis, quibus prohibentur notarij quoduis inſtrumentum recipere, ſi ignota fuerint ijs contrahẽtium nomina & perſonæ: iſtius porrò fallaciæ ac ſuppoſitionis duo habemus exempla, vnum antiquum, aliud nouum. Primum eſt apud Tullium in orat. pro Cluentio: *Cũ eſſet adoleſcens* (Aſinius videlicet, is inquã, cui ignorãti factũ eſt teſtamẽtum) *apud mulierculam quãdam, atque ibi pernoctaret, & ibi diem poſterum commoraretur Aiulius, vt erat conſtitutum, ſimulat ſe ægrotare & teſtamentum facere velle. Oppianicus, obſignatores ad eum, qui neque Aſinium neque Aiulium noſſent, adducit, & illum Aſinium appellat: ipſe teſtamento Aſinij nomine obſignato, diſcedit. Aiulius illico conualeſcit, Aſinius autem breui illo tempore, quaſi in hortulos iret, in arcuarias quaſdam extra portam Eſquilinam perductus, occiditur.* Alterum verò narrat Iulius Clarus recept. ſent. lib. 3. §. teſtamẽtum, queſt. 59. *Noſtris temporibus*, inquit, *quædam mulier ſagax maritum ſtatim, poſtquam exſpirauerat, lecto extrahi fecit, & aliũ pro eo ſuppoſuit qui feneſtris thalami ferè in totũ clauſis, & capite pãnis inuoluto ſimulans ſe propter infirmitatem loqui poſſe, condit teſtamentum in quo vxõrem inſtituit heredem, & alijs perſonis diuerſa legata relinquit: omnes teſtes credebant ipſum eſſe verè eius maritum, qui quaſi in extremus laboraret: fuit deinde quaſi diuino miraculo res omnis detecta, & niſi mulier ipſa vnà cum notario, qui ſolus erat particeps fraudis, fuga ſibi conſuluiſſet,*

*credo quòd nō euaſiſſet pœnam vltimi ſupplicij*. Hæc Clarus. Quæ ferè ſunt ſimilia ijs quæ à Laodice & Artemone quodam geſta fuiſſe poſt mortem Antiochi regis Syriæ, mèmorant Plinius lib. 7. nat. hiſt. cap. 12. & Solin. in Poliһiſt. cap. 5. Porrò in id conſentire omnes interpretes, vt teſtes & videant & audiant teſtatorem dum ſupremum ordinat iudicium, docet idem Clarus eodem loco.

*De lege Cincia & de Donationum inſinuationibus.*

CAP. VII.

NVlla fiebat olim donationum inſinuatio ſiuè publicatio apud acta iudicum vel magiſtratuum, ſed valebant donationes intra certum modū ex lege Cincia, de donis & muneribꝰ, vt patet ex titul. 1. Vlp. in fragm. inde frequens mentio de modo donationum, & plures quęſtiones hac de re agitatę in iure noſtro, vt in l. *in ædibus* §. 1. *l. cum de modo, l. vt mihi l. fideiuſ. de donat. l. inter eos,* §. *fin. & l. cùm ex cauſa* D. *de re iudic.* vnde petendam eſſe rationē conciliandæ legis, *Regulus*, cum l. *Titius D. de donat.* Cenſet, D. Cuiac. Obſ. lib. 17 cap. 33. & lib. 21. cap. 37. cap. 19. Is autem modus erat ducentorum ſolidorum, vt conijcere licet ex §. *Et cum retrò inſt. tit. de donat. & ex l. ſancimus.* c. *de donat.* à cuius tamen ſententia recedit vir politiſſimus Antonius Faber lib. 2. Cōiect. Modus verò munerū ac donorū quæ oratoribus pro agenda cauſa à cliētibus deferebātur, non eſt deputandus aut adſcribendus legi Cinciæ, quæ donum ac munus accipere vetabat penitus, vt ex Tacito clarum fit pro cauſa oranda. Sed Diuo Claudio qui pro cauſa agenda dena ſeſtertia permiſit accipere, vt ait Corn. Tacitus Annal. lib. 11. vel 10. millia ſe-

ſtertiûm nummûm, vt ait Plin.Epiſt. vlt. li.5. quod idem eſt, id eſt centum aureos ex computatione Budæi & Alciati. Porrò excipiebantur ex primo illo capite legis Cinciæ quædam perſonæ, quibus ſupra modum cc.aureorum donare licebat, videlicet liberi & parentes, imò & cognati, vt perſpicuè ſignificat Imp. Conſtantinus in l.4. C.Th. *De donat.* Et Vlp.in fragm.Tit.1.his verbis à P.Pithœo exquiſitiſſimæ doctrinæ viro, ita reſtitutis, *imperfecta lex eſt veluti Cincia, quæ ſupra certum modum donari prohibet, exceptis quibuſdam cognatis; & ſi plus donatum ſit, non reſcindit.*

Excipiebantur quoque donationes remuneratoriæ vt patet ex illo inſigni loco Pauli Iuriſconſulti lib.5.Sent.Tit.12.quem Tribonianus malò quodam & peruerſo more paululum inuertit in l. *ſi pater* §.1.D. *de donationibus*, nec ita tamē quin adhuc prioris ſententiæ veſtigia in eo appareant. Tales cenſeri debent donationes factæ nutricibus ab alumnis, vt ea, de qua loquitur Plinius lib. 6.Ep.3. quæ cùm eſſet c.millium nummûm, conſtitit tamen. Talis etiam ea de qua in d. l. *Aquilius*: quam vel ex hac ratione potuiſſe conſiſtere arbitror, quamquam non aſpernenda Fabri coniectura.

Iure nouo abrogata fuit penitus lex Cincia, qua ratione, ſcio: à quibus, ignoro. Ab vſu quidē receſſiſſe eam teſtatur Iuſtinianus Nouell.162. De donationibus modò in ea κοινὴν legamus cùm D.Cuiacio, non ξενὴν cùm Haloandro. Quantùm verò coniectura aſſequi poſſum, huius abrogationis author Conſtantius Conſtantini magni pater, qui primus inſinuationū ſolemnitatē induxit, quæ antea inaudita

dita atque inuſitata fuerat, vt teſtatur Imp. Conſtãtinus, qui illius legẽ trahit ad ſpõſalitias donationes in l.1.C. de ſponſal. vbi quod ait Anianus ante tempus illius legis valuiſſe donationes ſine geſtorum teſtificatione, id eſt ſine inſinuatione, referendũ eſt ad Conſtantij legem; vel reſtringendum ad donationes inter ſponſos vt ad Conſtantini reſcriptum pertineat. Puto autẽ eadem lege tuliſſe Conſtãtium vt ſupra modum legis Cinciæ donare liceret, modò donationes in acta iudiciũ vel magiſtratuum referentur. Nec obſtabit lex 4. C. Th. de don. quæ inter liberos & parẽtes, cæteráſque exceptas Cinciæ legi perſonas hanc ponit differẽtiã, vt donatio facta inter parentes & liberos valeat nudo conſenſu ac ſine traditione: donatio verò facta inter cæteras exceptas Cinciæ legi perſonas non valeat ſine mancipatione aut traditione: vt hac in re idem ius ſit in huiuſmodi perſonis ac in cæteris alijs. Denique id vult Conſtantinus in ea lege, ſolis liberis & parẽtibus id priuilegij loco fuiſſe datum, vt valeãt donationes inter eos ſolo conſenſu, non autem inter alios vt inculcatur in l. ſeq. ne quidem inter eas perſonas, quibus ex lege Cincia ſupra modum donare licebat, quæ præcipuo aliquo iure hac in re dignæ videbantur. Confirmatur quoque hæc cõiectura ex Aniani interpretatione in d. l. 1. C. Th. de ſponſal. dum ait, *Poſt illam legem, nec nuptialem, nec quamlibet aliam inter quaſcunq; perſonas, & de quibuſcunque rebus donationem valere potuiſſe ſine actorum teſtificatione*: quæ verba ſic accipio, *De quibuſcunque rebus*, id eſt, cuiuſcunque pretij, ſiue ſint ſupra modum, ſiue intra modum. Hoc enim ſenſu accipiuntur etiam illa verba in d. l. 4. C.

Th. de donat. Si cui tamen hæc noſtra coniectura minùs probetur, (nam Aniani teſtimonium quàm ſit leue haud ignoro) : dicã ſaltem abrogatam fuiſſe hanc legem Cinciam ijs Imperatorum conſtitutionibus, quibus id poſtea definitum, vt donationes quæ modum excedunt ducentorum ſolidorum actis inſinuentur, de quibus mẽtionẽ facit Iuſtinin. §. & cùm retro. inſt. tit. de don. & in l. Sancimus, C. eod. Ex quibus vnicam tantũ inuenimus, eámque Theodoſij & Valentiniani in l. vlt. C. Th. de ſponſal. Quã tamen non fuiſſe primò in hoc latã, patet ex ijs quæ ad finem dicuntur de ea lege quæ mulieri 25. annis in integrum dat reſtitutionem, ob donationem de maiori ſumma conſcriptam, actíſque iudicum non inſinuatam, vbi quoque videnda Aniani interpretatio.

*Ad legem ait Prætor. §. reſtitutus. & §. quæſitum. D. de minor. 25. annis.* CAP. VIII.

MInor qui hereditatẽ repudiauit aduerſus hereditatis repudiationẽ in integrũ reſtitui poteſt. Rurſus aduerſus huiuſmodi reſtitutionẽ reſtitui de nuò poteſt, ait Vlp. in l. ait Prætor. 7. §. reſtitutus, D. de minor. quod quid aliud eſt quã præſtare patrocinium inconſtantiæ & leuitati? At Iuſtin. in l. vlt. §. non autem. C. de bon. quæ liber. minori qui ſemel adijt hereditatẽ, aut per ſe, aut per patrem dat quidẽ licentiam reſpuendi. At ſemel repudiatam non patitur denuò eã ad ſe reuocare, denegata nominatim in integrum reſtitutione. Ibíque rationem aſſignat quæ huic & ſuperiori caſui conuenit, ne quis differentiam aliquam cõminiſcatur: hanc videlicet *ne ludibrio leges ei fiant ſæpiùs, eandem & amplecti & reſpue-*

*re hereditatem cupienti.* An dicemus corrigi illam per hanc legem quaſi priorem à poſteriori? Atqui diuerſi ſunt caſus: & id non fit expreſsè. Dicam fortè aliquid quod Thaleleo Græco interpreti, & D. Cuiacio laborantibus opem feret, non tam facilè ſubueniri minoribus in lucro atque in damnô: poſteriori caſu quo ad ſe reuocat hereditatem quam ſemel repudiauit, lucrum captat. Priori verò dum hereditatẽ vult repudiare, quam ſemel eſt nactus, damnum fugit. Sed rurſus inſtabit aliquis fieri poſſe vt & poſteriori caſu damnum ſibi accerſat adoleſcens, ſi fortè hereditas non ſit ſoluendo. l. hereditatem, D. mãdati. Quò fit, vt dum ait Vlp. in d. l ait prætor. §. hodie h. t. etiam in lucris minoribus ſubueniri, exemplum ponat in legato non in hereditate. Videamus iam qualis ſit monitio Vlp. in d. l. ait prætor. §. quæſitum. D. eod. Dum ait prætores quotidie reſtituere Minores aduerſus venditiones factas earum rerum quæ ſeruari eis debent, *quod*, inquit, *circunſpectè erit faciendum, alioquin nemo accedet ad emptionem rerum pupillarium, nec ſi bona fide diſtrahantur.* Tacitè improbat Vlp. frequentes illas in integrum reſtitutiones à prætoribus factas aduerſus alienationes rerum pupillarium quæ ſeruari eis debent. Atqui leges noſtrę id agunt maximè, vt emptores ab emptione iſtiuſmodi rerũ abſterreantur, vſque eò vt ne fundũ quidem ſterilẽ, vel ſaxoſum, aut peſtilentẽ venire ſinant niſi ob æs alienum, & hoc etiam caſu niſi ex prætoris decreto facta licitatione, l. ſi fundus. C. de reb. cor. Vereor itaque ne deſit negatio in illo Vlpiani loco, vt ita legendum ſit: *Idem faciunt in his rebus quæ ſeruari eis non debent.* Nam ex legibus noſtris

etiam antiquis,nedum nouis,res minorum quæ ſeruari nequeunt,quaſi tempore perituræ ſint, per curatores alienari debent,etiã ſine decreto & licitatione,l.lex,quæ tutores.in pr.& in fi. C.de admin.tut. l.vlt.C.quand.decret.op.non eſt.l.pen.D.h.t.Vnde fit,vt improbet Vlp. iſtiuſmodi licitationes in rebus quæ ſeruari nequeunt. Cùm nulla ratio ſuadeat eas ſemel addictas, emptori auferre ob nouam licitationem,niſi ex magna cauſa.

*An teſtamentum in ſcriptis imperfectum valeat vt teſtamentum nuncupatiuum.* CAP. IX.

DVbia quæſtio, & in qua plura vtrinque afferri poſſunt: ſi dicas valere vt nuncupatiuumquod in ſcriptis perfici non potuit,hæc habebis tuæ ſentẽtiæ munimenta:Primùm quòd inutilis acceptilatio habeat vim pacti.l.ſi vnus.§.penult. D. de pact. l. pact. l. cùm emptor. D. de reſcind. vend. l. ſi accepto. D. de acceptil.

Secundò quòd ſubſtitutio pupillaris inutilis eò quòd facta ſit in codicillis, habeat vim fideicomiſſi, l. Scæuola,76.D.Ad Senatuſconſultum Trebel.

Tertiò, facit dicterium illud quod vulgò iactatur,Si nõ valet quod ago vt ago,valeat vt valere poteſt:quod noſtri doctores eliciunt ex l. 1. D. de iur. codicil. l. fin. C. de codicil. ex ea ſcriptum §. 1. D. de teſta. & ex l. ſi vnus. §. vlt. D.de pact.

Iuuat quoque hanc ſententiam cõſtitutio impp. Arcad. & Honor. in l. 3. C.Th. De teſtamẽtis. Vbi quamuis prædixerit teſtator ab initio velle vt adhibeantur ſeptem teſtes, id eſt,velle teſtari iure prætorio.: Et poſteà quinque tantùm conuocauerit, & teſtatus fuerit iure ciuili quo quinque tantùm re-

quirebantur olim, cenſent Imperatores nihilominus valere teſtamentum.

Poſtremò argumẽtis non eſt opus, vbi expreſsè, aliquid cautum reperitur. Proponit hanc quæſtionem, eámque dicidit imperator Leo in Nouell. Cõſtit. 42. Vbi nominatim cauetur, vt valeat teſtamẽtum in ſcriptis in vim nuncupatiui, ſi in eo interuenerint ſolẽnitates quæ in nũcupatiuo requirũtur.

His etiam accedat interpretum noſtrorum authoritas, quos frequentes ire in hanc ſententiã, teſtatur Nicolaus Boërius, Deciſ. 442. nu 6. Et dilectus Durantes in libello, de art. teſt. tit. 2. Caut 1. Gozad. Conſ. 3. nu. 11. Hanc quoque opinionum prævalere in foro & in iudicijs teſtatum reliquit Viglius Zuichemus melioris notæ interpres in §. vlt. inſt. tit. de inoff. teſt. nu. 4.

Hęc qui ſola leget, quíve audiet, quin ſtatim has partes ſequatur, non dubito. Sed heu, ſiſte parum quiſquis legis & quæ ex aduerſo afferuntur maturè, & cum iudicio perpende: Inprimis illud dicitur, ſtipulationem inutilem non habere vim pacti, quamuis in ea peracta ſint omnia quæ in pactis requiruntur, vt ſi quis interroganti annuerit. l. 1. §. ſi quis ita. D. de verb. obligat. neque etiam vim habere conſtitutæ pecuniæ. l. 1. §. eum qui. D. de conſtit. pec.

Secũdò quòd regulariter ſubſtitutio directa inutilis non habet vim fideicõmiſſariç. l. verbis ciuilibus. & l. in pupillari. D. de vulg & pub. ſubſt. niſi tantùm in milite ex priuilegio, l. Centurio. D. de vulg. & l. precibus, C. de impuber. Sed hæc ab hac quęſtione remotiora ſunt: quę nos ideò luſoria argumenta eſſe volumus. Ecce iam pugnantia.

In lege *ſi vnus*.C. De teſtamentis (quæ eſt de teſtamento in ſcriptis) ſi omnes teſtes teſtamentum ſuo vel alieno annulo non ſignauerint, id iure deficere dicitur: vnde illud conſequitur, Non valere id teſtamentum in ſcriptis in vim nuncupatiui: quãuis ea peracta ſint quæ ſufficiũt in nuncupatiuo, imò & quæ in teſtamento in ſcriptis, præter ſola teſtium ſignacula, alioquin non diceretur id teſtamentum iure deficere.

In lege *hac conſultiſſima*, verſ. *non ſubſcriptum*. C. de teſtamentis, teſtamentum nõ ſcriptum neque ſubſignatum ita imperfectum eſſe dicitur, vt nõ valeat niſi inter ſolos liberos. Et tamen in huiuſmodi teſtamento eorum nihil quicquam abeſt quæ in teſtamento nuncupatiuo requiruntur.

Nouella Valentiniani. 1. de teſtamentis illud conſtituitur, vt valeat teſtamentem holographum, id eſt propria teſtatoris manu ſcriptum ſine teſtibus: Si tamen teſtator conuocari teſtes voluerit, legitimus omnino numerus conuocandus eſt, vt validum ſit teſtamentum. Sic etiam dicendum valere quidẽ teſtamentum nuncupatiuum ſine ſignis & ſubſcriptionibus. Si tamen in ea fuerit voluntate defunctus vt teſtamentum fiat in ſcriptis, eas omnes ſolẽnitates adhibendas eſſe quæ ad id requiruntur.

His accedat quod in iure cautũ, vt non valeat teſtamentũ imperfectũ iure codicillorum, quamuis ea omnia adhibita fuiſſe dicãtur quę in codicillis requirũtur. l. 1. D. de iur. codic. l. fideicõmiſſ. §. 1. D. de legat. 3. l. ex teſt. C. de fideicõmiſſ. Aliud tamen eſt, cũ adijcitur clauſula codicillaris, id eſt, cùm id exprimit teſtator, vt valeat teſtamentum iure codicillorũ ſi vim

teſtamenti habere nequeat, l. cohęredi. §. cũi filæ. D de vulg. & pup. ſubſ. l. vlt. C. de iur. codic. Quod idẽ obtinere volumus in hac quæſtione, vt nimirùm valeat teſtamentũ in ſcriptis iure nũcupatiui, ſi id teſtator voluerit: nõ valeat autẽ, ſi nihil hac de re dixerit.

Vt autem contraria ſententia ſuos habet aſſertores, non deſunt etiam qui hanc tuentur, quíque eos refellunt, qui affirmare auſi ſunt alteram opinionẽ eſſe cõmunem, vulgóque receptam, vt Iulius Clarus recep. ſent. lib. 3. §. teſtamentum. quæſt. 4. verſ. ſed quæro. Et ſanè nihil eſt tam expeditum quàm illius opinionis fundamenta ſubuertere. Nam quod de pollicitatione dicitur, vt habeat vim pacti, id ideo verum eſt, quia in ea de liberatione agitur, cui naturaliter potiùs fauemus, quàm obligationi, ob eámque cauſam etiam dicimus ſtipulationem inutilem non habere vim pacti. In teſtamento autẽ contrahitur obligationis ſpecies quædam: maior pręterea in teſtamentis ſolemnitas requiritur, quàm nec in acceptilatione, nec in alijs eiuſmodi actib': quę ideò non facilè remittitur, vbi ſemel de teſtatoris voluntate fuit aliquod indicium datum. Quod dicitur de ſubſtitutione, regulariter non obtinet, ſed tantùm in eo ſpeciali caſu qui proponitur in d. l. Scæuola, vt docet D. Cujacius Obſ. lib. 11. cap. 25. Ex caſu autem ſpeciali haud vnquam rectè inducitur argumentum ad generalem regulam conſtituẽdam. Brocardicum illud, *Si non valet quod ago, &c.* id tantùm ſignificat, Si quis id expreſſerit, vt quod agit, valeat quò modo valere poteſt, huiuſmodi expreſſionẽ vtilẽ eſſe, quod maximè obtinet ĩ clauſula codicillari: quæ ſi adiecta fuerit in teſtamento, id eſt, ſi declarauerit teſtator

cupere ſe, vt ſi non valeat teſtamentum à ſe conditũ, vt teſtamentum, ſortiatur ſaltem effectum codicillorum aut alterius vltimæ voluntatis, dicimus per eam teſtamentum ſuſtineri.

Nihil autem efficit Arcadij & Honorij conſtitutio quam tacitè abrogauit Iuſtinianus, dum eam omiſit, nec ſuo Còdici inſeri fuit paſſus. Valeant illę iuris reliquiæ, quæ ſunt extra iuris corpus ad leges noſtras interpretandas, non ad eas ſubuertendas: & tunc demum ad eas recurratur, vbi nihil in libris noſtris expreſſum ſuper aliqua quæſtione inuenimus. Leonis Nouella, quamuis poſt Iuſtinianum lata, parum nos moueat, fuerunt enim perpetuò illius imperatoris leges ſine effectu, etiam viuente eo: eæ pręſertim quæ ex iure veteri aliquid immutarent, vt teſtantur Græci interpretes, vtque refert D. Cujacius Obſ. lib. 17. cap. 31. Hæc cùm ita ſint, veriorem puto Bartoli opinionem, ita diſtinguentis poſt Dynum in l. vlt. D. de iur. Codic. Vt ſi omnino dubitetur, vtrum teſtator in ſcriptis teſtari voluerit, valeat teſtamentum vt nuncupatiuum, ſi modò fuerint ea omnia in eo adhibita quę in nuncupatiuo requiruntur. Si verò certum & indubitatum ſit eam fuiſſe teſtatoris mentem, vt in ſcriptis teſtamentum faceret, tunc non valere vt nuncupatiuũ, quamuis ea ſolùm deſintquę in nuncupatiuo requiruntur. Cui ſententię ſubſcribit etiam Iulius Clarus in d. lib. 3. Recept. ſentent. §. teſtamentum. quæſt. 4. verſ. ſed quæro.

Finis Libri Secvndi.

Gvlielmi

# GVLIELMI RANCHINI IN SCHOLA MONSPELIENSI Anteceſſoris, & in ſubſidiorum curia Occitana Regij patroni,

## VARIARVM LECTIONVM LIBER TERTIVS.

*Defenſa vulgata lectio in l. cùm tabulis. §. quoniam D. De his quæ vt indign. aufer. & D. Cuiacij emendatio improbata.*

### CAPVT I.

A Doctiſſimi Cuiacij iudicio nunquam niſi inuitus recedo, quem ſcio in iure primas obtinere. Quo pluris autem illum facio, eo diligentiùs & accuratiùs eius monumenta tero: eo fit vt inter tam multa & docta, & admiranda quædam reperiam, quæ nimis probem, quæ ego lectoribus diiudicanda propono, ea lege ne qua in re tanti viri exiſtimatio à me læſa cenſeatur, cuius etiam errores docti & quaſi næui in pulcherrimo corpore.

Emendat vir magnus legem cum tabulis § quoniã D. de his quæ vt indig. aufer. & pro *vulgò quæſitam*, reponit, *vulgo quæſtum feciſſe*. Ruffinam Coccei Caſſiani vxorẽ fuiſſe vult; eius filiam cõcubinam Cocceij, natam non ex Cocceio, ſed ex priori Ruffinæ viro. Hæc omnia ex ingenio non ex auctoritate. Ego verò vulgatam lectionem tuebor, cuius ideo cauſa iuſtior apud eos ſaltem, quibus damnata correctorum opera, quos tamem quia præiudicijs vtuntur, refuto arceoq́;, ne ſemel hac in re probatos perpetuò probare neceſſe habeam. Dico igitur Ruffinã Cocceij non vxorem ſed concubinam fuiſſe: Eius autem filiam quam Cocceius ſimul cum nepte heredẽ inſtituit, ex hoc concubinatu fuiſſe natam, ídque comprobo hiſce rationibus: Si fuiſſet Cocceij vxor Ruffina nõ cõcubina, vxoris appellationẽ ſine dubio eam deſignaſſet Papinianus: nullum enim honeſtius nomen hac in re: At quia non eius vxor, ſed vxoris loco habita, ideo ait Vlpian. eam à Cocceio pleno honore ſiue amore dilectam fuiſſe: vtpote quòd ſpretis aliis mulieribus ſolam domi haberet, ſolam amaret, ſolam thoro & conuictu honeſtaret. Ruffin. deinde teſtamento ſuo Ruffinæ filiam alumnam appellauerat: veriſimilius eſt eam potius ita appellaſſe quã ex cõcubina ſuſceperat, quàm eam cum qua cõcubuerat. Deinde quo iure ex vxore natam concubinam habere potuit? nónne priuignam quis vxorem ducere prohibetur? ita quidem ait vir doctiſſimus. Sed non eſt nouum vt cum qua non eſt connubium, ſit concubinatus: Nam & cum ancilla: cum adulterii damnata: cum quinquagenaria: cum muliere

eius prouinciæ in qua quis officium adminiſtrat, eſt concubinatus, non etiam connubium. Vera hæc omnia. Sed cedo exemplum eius mulieris quam quis propter ſanguinem aut affinitatem vxorem habere prohibeatur, concubinam habere non prohibeatur. Nullum eſt in iure, ne quæras qui ob hanc cauſam à nuptiis alicuius mulieris repellitur, & à cócubinatu abſtinere debet. Contrahitur enim ſtuprum vtróuis modo, & nefarius perpetuò huiuſmodi complexus. Iam diluenda quæ ex aduerſo obiiciuntur huic noſtræ ſententiæ: Vulgo quæſiti, inquit, non dicuntur filij ex concubina ſuſcepti, ſed naturales aut nothi. Imò vulgò quæſiti dicuntur ij omnes qui ex iuſtis nuptiis ſuſcepti non ſunt, & iuſtis liberis opponũtur multis in locis, atque ſpurii appellantur l. cùm legitimæ & l. vulgò D. De ſtat. homi. l. 4. in fin. 5. & 6. D. de in ius voc. l. patronę. D. de bon. libert. l. 1. D. Ad munic. l. 2. in prin. D. ad ſenatusconſultũ Tertull. quib. addẽdus Caius in frag. Tit. de matrimoniis. Fateor quidem vulgò quæſitos ſiue conceptos eos propriè appellari qui ex ſcortatione procreati ſunt: ſed illud viciſſim mihi concedatur, lata ſignificatione eos etiam ita appellari, qui nati ſunt ex concubina. Nam & ſpurii ij propriè dicuntur, qui vulgò & ex ſcortatione concepti ſunt, & ſeparantur à natis ex concubina in l. ſiqua illuſtris. C. ad ſenatuſcóſultum Tertull. Et tamen ex concubina ſuſcepti ita quoque appellantur, vt patet ex Feſto in. verb *nothus*, vbi docet Seruium Tullium Spurium fuiſſe dictum, ex eo quòd concubina natus eſſet. Nothos quoque ſpurios ſiue ſpurio patre natos interpretatur idem Feſtus eodem

loco,vnde mirari quiſque deſinat, ſi nos quoque vulgo quæſitum pro notho accipiamus. Porro neminem moueat quòd exemplum parùm conuenire videatur cum eo quod propoſuerat Papinianus. Dixit enim actionem eſſe ad id petendum quod concubinæ relictum eſt: exemplum autem ſubiicit de relicto filiæ ex concubina ſuſceptæ. Sed eadem eſt ratio in filia atque in concubina. Nam quod quis prohibetur concubinæ relinquere, id liberis ex ea ſuſceptis relinquere non poteſt, & è conuerſo vt ex nouis conſtitutionibus de liberis naturalibus nullo negotio confirmari poſſet, vbi vno eodémque iure cenſetur mater cum liberis. Deinde ait Papinian' id ab Imperatorib' Seuero videlicet & Antonino iudicatum fuiſſe in teſtamento Caij Caſſij.

## *Diuerſa legum capita reſtituta in titulo Digeſtorum. De negotiis geſtis.*

### CAP. II.

EX titulo de negotiis geſtis labeculas quaſdam abſtergam quæ properantes remorari poſſunt, quæque iuriſconſultorum ſententias tenebris inuoluunt, & obſcurant ſatis per ſe obſcuras. In l. *At quin xix.* verbũ loco pulſum ſic repono. *Scæuola noſter ait putare ſe quod & Sabinus ſcripſit.* A CAPITE RATIONEM *reddendã, debere ſit intelligi &c.* Importunè ita legebatur, *Debere à capite rationẽ reddendã.* ex l. *Nam & ſeruus*, illa verba, *Seruius reſpondit*, quæ ad finem inculcantur, delenda cenſeo: poſita enim ſunt ſta-

tim ab initio, & reliqua abiis pendent in l. *cum alicui.* 26. pro, *irritũ, probatũ eſt pro tribunali*, rectiùs fortaſſe ita quis legerit, *irritum pronuntiatum eſt pro tribunali*. Saltem, ſententiæ pronunciationẽ poſt probationes ſecutam fuiſſe dicemus. Idque ideo ſubaudiendum ſi quis receptæ lectioni immorandum cenſuerit. Sententia legis, *ex facto*, ſatis per ſe clara verba, tamẽ parùm inter ſe cohærẽt, quæ non malè ita quis cõponet, *ex facto quærebatur quodam ad ſiliginem emendam curatore decreto ordinis conſtituto, cùm eidem alius ſubcurator conſtitutus ſiliginem miſcendo corrupiſſet, atque ita pretium ſiliginis quæ in publicum empta erat curatori adflictũ eſſet, qua actione curator cum ſubcuratore experiri poßit, &c.* Cui hæc nõ placebit, retineat veterem lectionem quando ſententia conſtat, dummodò id fateatur, arenam eſſe ſine calce. Maius aliquid eſt quod nunc molior in l. *Diuortio*, in qua vt meam operam omnibus probem, præfatione vtar, ſimúlque illam explicabo. Quæſitum fuit olim an negotiorum geſtor omnia abſentis negotia gerere neceſſe haberet, & an non poſſit, quia vni negotio ſe interponere, quin debeat ſtatim, in cæteris eamdem operam preſtare. Illud regulatiter definitum eſt, poſſe quem ad vnum negotium accedere omiſſis aliis. l. *ſi pupilli.* § *videamus.* l. *nam & ſeruus.* § *ſi vino* D. de negot. geſt. nec eſſe actionem aduerſus eum aliorum nomine: cùm abundè vnicuique ſufficere debeat, ſi vel in paucis amici labore ſibi conſulatur. Et in hac re differre volunt negotiorum geſtorem à tutore vel curatore impp. Diocletianus & Maximianus in l. *Tutori*, C. de negot. geſt. quos aiunt teneri etiam non geſtorũ nomine, cùm eis incumbat onus

omnia gerendi. Quamuis autem non neceſſe habeat quis omnia abſentis negotia adminiſtrare, ſi tamen eius contemplatione ad ea quæ omiſit, alius non acceſſerit, aut etiam ſi vir diligens ea quoque gerere potuerit, cenſet Vlpianus teneri omiſſorum nomine in. d. l. *ſi pupilli*. §. vlt. D. de neg. geſt. An autem exigere neceſſe habet pecunias abſenti debitas? Regulariter quidem id præſtare non cogitur, cùm non poſſit agere& debitores cõuenire ſine mãdato, vt ait Vlpianus in d.l *ſi pupilli*, §.vlt. Et imperatores Dioclet. & Maxim in d.l. *Tutori*.C.de negot. geſt. in cuius extrema parte, verba hæc errantia, (*Tui conſtituta iuris*) ad proprias ſedes reduco in hunc modum. *De cæteris verò quæ ab alijs detenta exacta non ſunt, ab hoc qui nec agendi quidem propter exceptionis obſtaculum facultatem habere potuit, exigi non poteſt, & idcirco aduerſus eos quos res tuas tenere dicis, tui conſtituta iuris detorquere tuas petitiones debes.* Aliud tamen dicendum eſt, ſi negotiorum geſtor ex earum perſonarum numero ſit, quæ poſſunt agere ſine mandato, l. *ſi autem*, in princ. D. de negot. geſt. l. *ſed & hæ perſonæ*. in pr. D. de procurat. Aut etiam ſi ipſemet debitor ſit. Tum enim à ſemetipſo exigere pecunias debet d. l. *ſi pupilli* §. vlt. l. *ſi autem* in prin. idque niſi fecerit, debitũ ex nõ vſurario fit vſurariũ ex conſtitutione diui Pij, d.l. *ſi pupilli*: Debitor igitur qui creditoris ſui negotia ſuſcipit adminiſtrãda, ſciat in eo ſuam cauſam facere deteriorem, quod à tempore adminiſtrationis pecuniæ à ſe antè debitæ ex alia cauſa vſuras ſoluere neceſsè habeat, quamuis debitum neque ex ſua natura, neque ex conuentione fuerit vſurarium. l. *qui ſine vſuris*. D. eodem. inde

multa quæruntur in d. l. *diuortio*. quæ nunc eodem ordine quo propoſita ſunt perſequar. Inprimis illud, Si Maritus debitor dotis ſoluto matrimonio vxoris negotia geſſerit, an mulier dotis nomine negotiorum geſtorũ actione agere poſſit? Et ait Scæuola, poſſe: ratio hæc eſt, Quia debuit maritus dotem à ſe exigere, vbi vxoris negotia adminiſtranda ſuſcepit. Ideóque etiam tenetur ad vſuras ſine dubio, quamuis hac de re nihil exprimat Scæuola. Sed cui bono eſt mulieri vt potiùs agat actione negotiorum geſtorum, quàm de dote ad dotem repetendam? Quia nimirum in actione de dote maritus in quantum facere poteſt tenetur: in actione negotiorum geſtorum, in ſolidum condemnatur regulariter: in quibuſdam tamen caſibus non condemnabitur in ſolidum in hac actione. Primus erit ſi iam maritus eſſet non ſoluendo, eo tempore quo negotia gerere cœpit, cùm hoc caſu ei imputari nequeat qui à ſe nõ exegerit: quem caſum exprimit illa clauſula, *hæc ita ſi in negotiis geſtis maritus dum gerit facere potuit, aliás enim imputari non poteſt quòd à ſe non exegerit.* A qua tamen abeſſe velim illa verba, *in negotiis geſtis. Sed ſi poſtea*, inquit Scæuola, *patrimonium amiſerit, plena erit negotiorum geſtorum actio: quamuis ſi dotis actione maritus conueniatur, abſoluendus* eſt. Sic legendum cenſeo, cum vulgò legatur, *ſed & poſteaquam.* Inde tamen excipitur alter caſus, Nempè, ſi cœperit eſſe non ſoluendo, paulò poſt cœptam adminiſtrationẽ, cùm ad eum diem non habuerit pecunias in arca, vnde poſſet ſoluere: Dicimus enim hoc caſu eum non teneri in ſolidum: rationẽ hãc addit Scæuola, *quia non è veſtigio in officio deliquit, ſi non protinus*

*res ſuas diſtraxit ad pecuniam redigendam.* Ideóque præterire aliquid tẽporis debet quo ceſſaſſe videatur. Vt autem hanc ſententiam exprimat Scæuola, eius verba ita emendanda ſunt, *ſed hic quidam modus ſeruandus eſt, vt ita huic querelæ locus non ſit,* QVANTVM FACERE POTVIT, (quam is poſtea amiſerit) ſi eo tempore ei ſoluere potuit. Non enim è veſtigio in officio deliquit, &c. Querelam autem appellat hanc exceptionem, *Quantum facere potuit,* qua vtitur maritus non vxor: at vulgata lectio eam vxori tribuit. Ideo negationem hanc addo, *vt ita huic querelæ locus non ſit.* Proponitur deinde hæc quęſtio, Si creditor cui pignus fuit traditum debitoris negotia gerenda ſuſceperit, an debeat pignus reddere: diſtinguit Scæuola vt tunc demum reddere debeat, ſi ſit vnde ſibi debita pecunia ſolui poſſit: non cogatur reddere, ſi non poſſit aliunde ſibi ſatisfieri. Sed id clarum. Quæſtio quæ nunc ſequitur paulò obſcurior, an is qui mancipium morboſum, aut vitioſum vendidit, ſi poſteà emptoris negotiis ſe immiſcuerit, à ſe ipſo redhibere debeat huiuſmodi mancipium, & niſi id fecerit, an hoc nomine teneatur? Dicam regulariter ei redhibitionis onus incumbere: ex hac autẽ regula excipiam eos caſus quos numerat Scæuola. Nempè ſi mãcipium in rebus non fuerit inuentum: vel eo inuento, ſi recipere non poſſit acceſſiones & adquiſita per mancipium non ex re emptoris: Itémque detrimenta, ſiue vt ita dicam, mancipii deteriorationem: hæc enim omnia venditori reſtitui debent ex edicto ædilium. Cuius hoc caput legitur in l.1. D.de Ædil. edict. *Siquid autem poſt venditionem traditionémque deteriùs emptoris o-*

*pera familiæ procuratoríſue eius factum erit: ſiue quid ex eo poſt venditionem natum adquiſitum fuerit: Et ſi quid aliud in venditione ei acceſſerit, ſiue quid ex ea re fructus peruenerit ad emptorem vt ea omnia reſtituat.* Præſcribitur autem ſex menſium ſpatio redhibitoria actio l. *ſciendum* & l. *Æediles*, D. de Ædil.edict. Ideóque rectior vulgata ſcriptura quæ habet, *ſex menſibus*, quàm Florentina. Vltima hæc eſt, ſi debitor qui negotium creditoris gerit, locuples ſit, & debitum vſurarium, aut ipſo iure aut ex conuentione, an nihilominus ſoluere debeat? & ait Scæuola ei non eſſe imputandum, ſi non ſoluerit. Idémque dicendum eſt etſi in diem debeatur pecunia l. *qui ſine vſuris* D. eod. diuerſum verò ſtatuitur in tutore, eo quòd pupilli interſit pecuniam ſibi deberi potiùs ex tutela quàm ex priori obligatione: ídque propter hypothecam (vt vult Accurtius) quam habet pupillus tutelæ nomine, quámque non habet fortè ex priori obligatione: nam ſi haberet, idem ſtatueretur in hoc quàm in illo, in hoc autem. §. perpetua obligatio opponitur temporali: Redhibitoriæ, inquam, qua tenetur venditor intra ſex menſes de qua in ſuperiori §. locutus fuerat Iuriſconſultus.

## *Nihil mutandum in l. ſi Stichum.* §, *aditio. D. De ſolution.*

### CAP. III.

VEreor ne acutus ille iuriſprudentiæ oculus parùm viderit in l. *ſi ſtichum*. §. *aditio* D. de ſolut.

adeò lõgè recedit à legis ſentẽtia: reliqua probo quę ſcripſit ad l.127.D.de verb.obligat.huius §.explicationẽ, probare nequeo: in quo tres diuerſos effectus aditionis hereditatis recẽſet Papinianus: primus, vt ipſo iure cõfundat obligationẽ; ſecũdus, vt pro ſolutione cedat. Tertius, vt inanẽ obligationẽ cõfirmet. vult vir doctiſſimus tunc demum pro ſolutione cedere cùm ſubeſt obligatio aut naturalis aut ciuilis: at Papinianus perſpicuè declarat, id etiam fieri, vbi neque ciuilis, neque naturalis vlla ſubeſt obligatio. Exemplum enim ponit in eo creditore, qui pupillo ſine tutoris authoritate nummos credidit, qui ſi pupillo hæres extiterit, integrum debitum ex hereditate vult retinere, quamuis pupillus inde locupletior factus non fuerit, quo caſu neque ciuilis, neque naturalis cenſetur contracta obligatio inter pupillũ & creditorem: vt conſtat inter omnes. Id viro magno planè nouum & à iuris diſciplina alienum videtur: vt nimirum aditio hereditatis vim ſolutionis habeat eo caſu quo nulla præcedebat obligatio. Certùm eſt tamen id voluiſſe Papinianum, neque id ſine ratione voluiſſe: dicendum eſt enim, ibi inanem obligationem ſubeſſe, cui vires addat hereditatis aditio, atque id efficiat, vt creditor qui hereditatem adiuit, id retinere poſſit vice ſolutionis, quod ſibi ex ea obligatione debetur. Negari autem non poteſt, quin aditio hereditatis inanem obligationem validam atque efficacem efficere poſſit. Id enim diſertis verbis tradit Papin. in.d.§. *aditio*. Mulier verò quæ interceſſit, de qua ibi exemplum ponitur, non modò non ciuiliter, ſed ne naturaliter quidem ex inter-

ceſſione obligatur beneficio ſenatuſcōſulti Velleiani. Idque inde perſpicitur, quod ſi ſoluerit? repetitionē habeat l. *qui exceptionem.* D. de cōdict. indieb. quam quidem repetitionem non habet filiusf. qui mutuam pecuniam ſoluit, eo quòd naturaliter cenſetur obligat⁹. l. *ſed ſi paterf.* §. vlt. D. de Se. Macedo. iuncta l. *ſi pœnæ*, in princ. D. de condict. indeb. Et tamen ſi mulier eius pro quo interceſſit, hereditatem adierit, valida ſtatim atque efficax redditur illa inanis obligatio, vt ait Papinianus, idémque obtinet in eo herede, qui hereditatē reſtituit ex Trebelliano, quamuis enim per huiuſmodi hereditatis reſtitutionem inanis effecta fuerit ea obligatio, quæ inter eum & creditores hęreditarios exiſtebat, ſi tamen poſtea ipſemet heres fidei commiſſario ſucceſſerit, reuiuiſcit ſtatim & vires ita ſumit, vt ex ea agi poſſit. Porrò tertius aditionis effectus, maior & potentior eſt omnino, quàm is qui præcedit, pl⁹ eſt enim actionem dari ex inani obligatione, quàm retentionem. Cedere autem vice ſolutionis, nihil aliud eſt in hoc §. quàm ius retētionis tribuere: hæc cùm ita ſint, retinenda eſt vulgata lectio in d. §. legendúmque *conſequitur*, non *conſequeretur*: quamquàm in hoc nihil magni ſit momenti: nec mutandum illud *in ſolidum* pro *inſolutum.*

## *An ius publicum originē educat à iure gentium: & de Diuiſione iuris priuati ab Vlpiano & Iuſtiniano tradita.*

### CAP. IIII.

IVris priuati diuiſionem exagitat Rodolphus Agricola lib. 2. de Inuent. cap. 5. putat enim eandem diuiſionem ad ius quoque publicum pertinere: Ideóque debuiſſe Iuſtinianum in §. vlt. Inſtit. de iuſt & iur. atque etiam Vlpianum in l. 1. D. eod. vtrumque ius & publicum & priuatum ſimul deducere ex naturalibus præceptis gentium & ciuilibus. Eum refellunt multi, ſed non iiſdem rationibus. Sunt qui cenſent, Nullam partem iuris publici referri poſſe ad ius naturale, aut gentium, aut ciuile: & inter eos D. Cuiacius in poſterioribus notis ad Inſtitutiones: Non eſt naturale, inquit, quia non pertinet ad bruta: Non eſt gentium, cùm non ſit commune omnium gentium. Nam & ſi religio erga Deum ſit ex iure gentium: ritus tamen, cæremoniæ, Sacrificia, ſacra, propria ſunt cuiuſque ciuitatis: & ſacerdotum ac magiſtratuum ordo ratióque non vbique eadem. Non eſt etiam ius ciuile, quod latiùs patet, ſed ius ciuitatis ipſius tantùm. Alij exiſtimant ius publicum referri quidem poſſe ad ius ciuile, at non ad ius gentium & ius naturale, vt Connanus commentariorum lib. 1. cap. 1. Alij

concedunt quidem diuidi poſſe ius publicum in naturale gentium & ciuile, vt priuatum: ſed ideo non fuiſſe diuiſum ab Vlpiano & Iuſtiniano, quia non erat eis propoſitum de iure publico tractare, ſed tantùm de priuato. Nulla ex his tribus defenſionibus ſatis apta videtur. Prima partim vera eſt, partim falſa (pace tanti viri dixerim:) vera, in eo quòd ait ius publicum ad ius naturale referri non poſſe, ad id inquam ius naturale quod definit Iuſtinianus in tit. ſequenti: falſa in eo quod ait, iuris gentium eſſe non poſſe. Nam inprimis id fatetur religionem eſſe iuris gentium, vt nominatim traditur in l. 2. de iuſtit. & iur. Religio autem non eſt iuris priuati: nihil enim eſt in ea quod priuatam vniuſcuiuſque ciuis vtilitatem reſpiciat: eſt igitur iuris publici quod prætereà ſic probo: Ius publicum, aliud diuinum, aliud humanum: Religione autem nihil diuinius, cuius cauſa, ſacra, ceremoniæ & ſacrificia introducta ſunt, & ſacerdotes creati. Hæc autem omnia ſunt iuris publici, ergò & religio. At, inquit, ſacra & ceremoniæ non ſunt iuris gentium: hîc ego diſtinguendum cenſeo. Nam ſi formam reſpicias, vt de contractibus dicitur, erunt iuris ciuilis: at ſi originem, ſine dubio ſunt iuris gentium: quod ſic apertiùs doceo: Nulla eſt religio ſine ſacris ceremonijs & ſacerdotibus. Religio eſt iuris gentium: ergo & ſacra. Fateor non eadē eſſe ſacra, non eoſdem eſſe Sacerdotes apud omnes gentes. Sed illud quoque fatendum eſt, non eandem eſſe apud omnes religionem, ſed diuerſam. Origo igitur eadem eſt apud omnes & religionis & ſacrorum: at forma non eſt eadem: forma igitur ad ius ciuile,

origo ad ius gentium referenda. Idémque de magiſtratibus, dicendum. Nulla enim ferè gens tam barbara atque immanis quę ſuos nõ habeat magiſtrat⁹, quęq; alicui non pareat. Origo ergo magiſtratuũ eſt iuris gentium : quamuis creatio ſit iuris ciuilis. Sequitur tertium, Ius publicum, inquit, ciuile dici non poteſt. Cur ita? quia, inquit, eſt ius ciuitatis à quo differt ciuile: Primùm verum, vt patet ex l. 5. in fi. & 6. D. capit. minut. ex lib. 1. de orat. vbi ait Craſſus, ius publicum proprium eſſe ciuitatis atque imperij: & ex lib. 1. de legib. vbi M. Tullius, *quid eſt tantùm, inquit, quantum ius ciuitatis*, vbi de publico loquitur. At ſecundum falſum eſt prorſus, eſſe aliud ius ciuitatis à iure ciuili, quod perſpicuè docet Iuſtin. in §. 1. Tit. Inſt. De iur. nat. gent. & ciu. & Vlpianus in l. 9. D. de iuſtit. & iur. Deinde id omne ius quod vnuſquiſque populus ſibi conſtituit ius ciuile, dicitur in d. ll. Atqui vnuſquiſque populus ſacra, cæremonias, ſacerdotes & magiſtratus ſibi conſtituit: Ergo hæc omnia ſunt iuris ciuilis, ſaltẽ quoad formam. Quæ cum ita ſint, falſa pro parte depręhenditur & Cuiacij & Connani defenſio. Tertia, qua alij paſſim vtũtur, conuenit quidem Iuſtiniano, qui nominatim ſe de iure priuato tantùm dicturum monet, nõ conuenit Vlpiano eo quòd in ſequẽtib. titulis totiùs libri. 1. Digeſtorum multa proponuntur de iure publico, nempè ea omnia quæ ſunt de magiſtratib. Rodolpho igitur ita reſpondendum puto, nihil peccaſſe Vlpianum aut Iuſtinianum in hac iuris priuati diuiſione, cùm non poſſit in totum iuri publico conuenire hæc diuiſio. Nullum eſt enim ius publicum quod ad illud naturale quod nobis cõ-

mune eſt cum brutis, & de quo ſolo loquitur Iuſtinianus, referri poſſit, aut ab eo originem trahere. Dicet quis, debuiſſe ſaltem Vlpianum aut Iuſtinianum diuidere ius publicum, in gentium & ciuile: feciſſet ſanè, ſi vtrique propoſitum fuiſſet de eo tractare: at Iuſtiniano non fuit propoſitum, vt liquidò apparet: Non fuit etiam Vlpiano, vt indicat inſcriptio d. l. 2. D. de iuſtit. & iur. ſunt enim excerpta Vlpiani verba ex eius libro. 1. Inſtitut. in quo vt veriſimile eſt, tractauit tantùm de iure priuato, non de iure publico, vt etiam Iuſtinianus ad illius imitationem.

## *De condictione Indebiti per errorem ſoluti, & de iuris & facti & ignorantia*

### CAP. V.

INdebitum per errorem ſolutum condici poteſt l. 1. 2. & ſeqq. D. de condict. indeb. l. 9. C. eod. Duplex autem eſt error, facti videlicet & iuris l. 1. D. de iur. & fact. ignor. Error facti excuſat, nec vmquã nocere ſolet, ſiue in damnis ſiue in lucris: At iuris error in damnis quidẽ amittendæ rei ſuę excuſat, id eſt prodeſt, non nocet: in lucris verò & compendijs nocet. l. regula. D. de iur. & fact. ignor. in qua quod generaliter traditur, iuris ignorantiã nocere, id adhibita illa diſtinctione explicat Papiniã. in duab. legibus quæ præcedunt, ex quibus, prima nempe lex 7. ſatis aperta: lex verò 8. paulò obſcurior: ſed ei⁹ poſtrema verba, ita exaudienda: Cæterùm in damnis

amittendæ rei ſuæ iuris error non modò non nocet mulieribus,ſed ne alijs quidem.i. nemini nocet: ita enim refertur ſententia illius l.in Synopſi Baſilicūn lib. 2.tit. 4.cap.1.& apud Harmenopulum lib. 1. tit. 1.in fin. nec obſtat quod de fœminis dicitur in multis locis,iuris ignorantiam eis in damnis nō nocere, d.l. regula in princip. eod. l. vlt & antepenult. C. eod.quaſi aliud obtineat in viris,eo quòd fruſtrà exciperetur mulier, aut fruſtrà de ea quęreretur, ſi idem in alijs perſonnis obtinere debeat. Reſpondendum enim id demum dici,quando quæritur quatenùs eis noceat iuris ignorantia, aut cùm tractatur vtrum eis noceat in lucris: nam in damnis eis non nocere, certiſſimum eſt: at in lucris ideo de mulieribus nominatim quæritur, quia maiori gratia & fauore dignæ videbantur, propter ſexus infirmitatem, quàm mares: & tamen nominatim reſpondetur, non ſolere eis ſubueniri nō magis quàm maribus: quod quidem non eſt perpetuum: nam eis propter iuris ignorantiam in multis caſibus in quibus agitur de lucro acquirendo ſubueniri docet D. Cuiacius, Obſeruat. lib. XII. cap. penul. denique quia de muliere quàm de aliis perſonis maior dubitatio eſſe poterat: ita ferè ſemper loquuntur iuriſconſulti, errorem in lucris ne fœminis quidem prodeſſe,aut cùm de damno amittendæ rei ſuæ tractant, ita aiunt,Iuris errorem in damnis non modo fœminis non nocere, ſed ne alijs quidem: d. l. error. D. de iur. & fact. ignor. & l. iuris ignorantiam C. qui admitti ad bon. poſſ. poſ. Hæc cùm ita ſint, illud conſequens eſſe videtur, vt ſemper dari debeat condictio indebiti, quoties non modò ignorantia facti,
ſed

ſed etiam errore iuris indebitum fuerit ſolutum: Cùm is qui indebitum ſoluit, damnum patiatur in re ſua, ſi non habeat repetitionem: & tamen id regulariter conſtituitur in l. cùm quis. C. de iur. & fact. ignor. indebitum per errorem iuris ſolutum repeti non poſſe: imò & perpetuò illud dicitur, ſi per ignorātiam facti indebitum ſolutum fuerit, cōdictioni locum eſſe l. 6. & 7. C. eod. Quod ſatis indicat aliud obtinere in indebito ſoluto errore iuris. Sunt qui hunc nodum ita ſoluunt: Qui indebitum repetunt, ſuum non repetere, eo quòd res facta ſit accipientis: quod verum eſt. Ideoque eos damnum non pati in amiſſione rei ſuæ: quod nego. Principiū enim hac in re inſpiciendum eſt, non exitus. Qui enim indebitum ſoluit huiuſmodi ſolutione, damnū facit in re ſua, dum eam amittit, ſi non liceat ei eam repetere. Verius eſt igitur, vt dicamus, Papiniani diſtinctionem de damno aut lucro ita exaudiri debere: vt ſi patiatur damnum amittendæ rei ſuæ, condictionem habeat: ſi verò lucrum, quod acquirere potuerat, ſoluerit, non condicat. Et ſanè illud exemplū quod proponitur de iuris errore, & in quo dicitur, non eſſe repetitionem, eſt omnino de lucro acquirēdo. Quando videlicet heres integra legata ſoluit, dum putat ſibi ius eſſe, id ex ijs repetere quod deerit Falcidiæ. l. regula §. vlt. D. de iur. & fact. ignor. & l. error. C. ad legē Falcidiam, & de Falcidia illud obiter notandum, fuiſſe olim eius retentionem, non petitionem, aut vindicationem. Hodie verò ex noua Iuſtiniani conſtitutione eſſe petitionem l. penul. C. ad legem Falcidiam, quod pluribus docet D. Cuiac. obſeru lib. 8. cap. 2. Inde illud conſequitur, integra

legata hodie non poſſe per errorem iuris ſolui, ſiue fieri non poſſe, vt per errorem iuris, ex ijs falcidia non retineatur, quòd iure nouo hodie liceat falcidiã vindicare ex legatis aut fideicommiſſis particularibus ſolutis. Et hæc de indebito ſoluto errore iuris aut facti, quæ veriora ſunt, ni fallor, quàm quæ D. Cuiacius ſcriptis mandauit Obſerua.lib.5 cap.39. vbi vult iuris ignorantiam neque nocere, neque prodeſſe, i. ſine effectu eſſe: quãquàm in tã multis iuris locis perſpicuè dicatur eã nocere: vt ex aduerſo, facti errorem prodeſſe, adeò vt neceſſariò inferendũ ſit, errorem iuris aut facti id efficere vt quis repetat, aut non repetat.

## *An filius heres inſtitutus querelam inofficioſi teſtamenti mouere poſſit, iure veteri.* CAP. VI.

IS cui minus legitima portione relictum erat, poterat iure veteri inofficioſi querelam inſtituere l. omnimodo. l. ſcimus C. de inoff. teſt. Non tamen ſi adiectum fuiſſet in teſtamento, vt fieret eius repletio boni viri arbitratu. d. l. ſcim᷒. in prin. C. de inoff. teſtamento. l. 3. C. Th. eod. non etiam ſi is cui minus relictum erat, defuncti voluntatem comprobaſſet l. parentibus C. eod. Quid ſi filius heres fuiſſet inſtitut᷒ in minori portione quàm legitima? Quid etiã ſi hereditas legatis exhauſta, adeo vt nihil aliud penes inſtitutum remaneret quàm inane heredis nomen? An dicim᷒ hoc caſu fuiſſe locũ? Cenſet D. Cuiacius extraneis coheredibus inſtitutis querelam compete-

re: fratribus verò inſtitutis non competere ad lib. 4. ſentent. Paul. Tit. 5. § filius: idque probare nititur, ex d. Pauli loco, & ex l. 3. C. de inoff. teſt. Nos iſtiuſmodi diſtinctionem nõ admittimus: ſed vtroque caſu querelam dari arbitramur: an rectè, eruditorum eſto iudicium. Rationes autem quæ nos ab eruditiſſimi viri opinione inuitos deturbant, hæ ſunt: Primò, Quia id conſtituit Imper. Alexander in l. Parentibus. C. de inoff. teſt. vt filius qui pro hereditaria portione debitum paternum perſoluit, aut alio legitimo modo iudicium eius agnouit, non poſſit de inofficioſo agere, quamuis minus quàm debebatur ei relictum ſit, ſi fuerit maior 25. annis vnde à contrario illud rectè infertur, poſſe eum agere ſi ſit minor 25. annis. Imò & ſi ſit maior, eo caſu quo non agnouit defuncti iudiciũ: loqui autem Alexandrum de filio herede inſtituto, docet illa verba, *pro hereditaria parte*. Fratres autem non extraneos ei coheredes fuiſſe datos, ex eo elicitur, quòd pater inter liberos hereditatem diuiſerat. Secundò, quia ex conſtitutione Imperatoris Philippi datur querela inofficioſæ donationis filijs ex minori portione heredibus inſtitutis, ſi hereditas immenſis donationib⁹, vel in alios filios, vel in extraneos collatis, exhauſta fuerit: idque ad exemplum querelæ inofficioſi teſtamenti. l. 1. C. de inoff. donat. Tertiò, quia id manifeſtè euincit Imperatoris Alexandri reſcriptum in l. 2. C. Gregor. de inoff. teſt. in hæc verba: *Impp. Alexander, Aug. Valeria, Ruffina. Si ex voluntate patris qui tres ex ſe natos reliquit heredes, tertiæ portionis quarta ad te ſine vlla diminutione peruenire nõ potuit, inofficioſi teſtamenti accuſationem inſtituere non prohiberis.* Ruffina, cũ reſcri-

bit Imperator, vna erat ex his tribus liberis heredibus inſtitutis, vt patet ex illis verbis *Tertiæ portionis quarta*. Ex quibus colligimus tres tantùm fuiſſe liberos non plures: cùm Ruffinæ legitima portio quarta pars tertiæ partis eſſe dicatur. Etenim ante Iuſtiniani cõſtitutionem legitima erat quarta pars eius partis quam quis habuiſſet ab inteſtato. §. vlt. Inſt. Tit. de inoff. teſtamento Ruffinæ autem portio virilis ab inteſtato tertia fuiſſet hereditatis pars, vt ibi nominatim dicitur: Ergò tres tantùm ſuperuixiſſe defuncto liberos, & inter eos Ruffinã, neceſſariò concluẽdum eſt. Nunc diſpiciamus quo pacto ijs quæ pro D. Cuiacio, in contrarium adduci poſſunt, reſpondendum ſit. Vrget plurimùm Pauli loc⁹ ex d. lib. 4. Recept. ſent. Tit. 5. *filius*, inquit, *in iudicio patris ſi minus debita portione conſequutus ſit, vt quartã ſibi à coherèdibus fratribus citra inofficioſi querelam adimpleatur, iure deſiderat*: vult enim Paulus filium agere ad ſupplementum, nec ei dat inofficioſi querelam. Nos dicimus filiũ id quidem iure deſiderare, vt citra inofficioſi querelam quarta ſibi repleatur. Sed nihilominus, ſi voluiſſet, iure poſtulare potuiſſe, vt ſibi liceret querelam inſtituere. Electionem enim habebat filius cui minùs legitima relictum erat, poteratque aut querelam inſtituere, cum onere tamen collationis, aut repletionem poſtulare. l. ſi non mortis. D. de inoff. teſt. Plus autem conſequebatur filius per querelam quàm per actionem ad ſupplementum: ſed incertior erat illa accuſatio, difficilioris exitus, à pietate etiam remotior: quam ideo veriſimile eſt multos vitaſſe electa actione ad ſupplementum. In l. 3. C. de inoff. teſt. datur quidem querela extraneis here-

dibus inſtitutis, non autem vbi fratres hæredes exiſtunt: ſed longè diuerſa ſpecies illius legis à noſtra quęſtione. Non enim ibi agitur de filio hęrede inſtituto in minori portione, ſed de filio præterito poſt matris teſtamentum nato: qui inofficioſi actionem mouere poteſt, ſi mater cùm mutare teſtamétum poſſet, id facere neglexerit: aut etiam, ſi eo caſu quo mutare non potuit, hęredes extranei inſtituti fuerint, non tamen ſi fratres: tunc enim quaſi inſtitutus in virilem portionem ſuccedit. Nihil ergo ad hanc quæſtionem illud reſcriptum: maximè verò cum huiuſmodi filius pręteritus virilem portionem conſequatur, fratribus hęredibus inſtitutis: id eſt tantundem, quantum per querelam conſequeretur. Cuiacius autem in hac quęſtione nonniſi actionem ad legitimæ repletionem concedit. Vrget pręterea imperatorū. Diocl. & Maxim. reſcriptū in l. ſi filius, C. de inoff. donat. vbi dicitur ad querelam non eſſe recurrendum, quotieſcumque alijs remedijs filio conſultum eſſe poteſt Quod cùm ita ſit, nunquam, vt videtur, poterit filius inſtitutus querelam exercere. Nam ſiue in ſolidum inſtitutus fuerit, falcidiam retinere poterat hęreditate legatis aut fideicommiſſis exhauſta: ſiue pro parte, ſupplementum legitimæ à cohęredibus poterat repetere. Et ſanè vbi in ſolidum filius heres inſtitutus fuerat, querelam fuiſſe ei denegatam arbitror. Habebat enim falcidiam: & in falcidia legitimam, cùm vtriuſque par atque eadem quantitas modúſque exiſteret: At vbi ex parte tantùm, quia tunc falcidia legitimam æquare nō poterat, licebat ei teſtamētū accuſare. Poterat quidem hoc caſu omiſſa ea

querela, repletionem petere. Sed cùm per hanc actionem non æquè ei conſuleretur ac per querelã: iniquum fuiſſet ideo ei querelam denegare, quòd haberet ad ſupplementum actionem. Quæ cùm ita ſint, rectè illud concludo, olim filium heredem inſtitutum in minori portione quàm eſſet legitima inofficioſi, querelam mouere potuiſſe, non modò extraneis, ſed etiam fratribus heredibus inſtitutis. Quid autem obtineat hodie hac in re ex nouis conſtitutionibus, putidum eſſet iſthic admonere.

## *An heres inſtitutus & fidei commiſſi onere grauatus poſsit teſtamentum inofficioſum dicere.*

### CAP. VII.

SVperiori quæſtioni aliam affinem prorſus ac gemellam nunc dabimus, An filius videlicet heres inſtitutus & fidei commiſſi onere grauatus teſtamentum poſſit inofficioſum dicere? quam laxiori ſtilo ſeptem aut circiter abhinc annis in publicis ſcholis à nobis pertractatam in explicatione tituli de inofficioſo teſtamento, iiſdem nunc verbis proponemus. Si fuerit filius ex aſſe heres inſtitutus, quamtúmuis rogatus de totius hæreditatis reſtitutione, certum eſt non poſſe eum hoc caſu inofficioſi teſtamenti accuſationem inſtituere, eoquòd quartam detrahat ex S.C. Pegaſiano ſiue Trebelliano, vt docet Paulus lib. 4. ſent. tit. 5. §. filius. Cuius quartæ nomine tantundem conſequitur, quantum

ſibi debeatur pro legitima portione. Semper autem hoc caſu iure veteri detrahi quartam Trebellianicam non legitiman obſeruamus in l. Papinianus. §. meminiſſe. D. de inoffic. teſt. in l. coheredi. §. quòd ſi heredem, D. vulg. in l. iubemus. C. ad Trebell. & apud Paulum eod. loc. §. rogatus, quemadmodum falcidiam non legitimam exhauſta legatis hereditate in d. l. Papinianus. §. quarta autem. & in d. §. filius apud Paulum. At iure nouo aucta legitima ad modum trientis & ſemiſſis detrahitur legitima nō Trebellianica aut falcidia, vt in Nouell. cōſtit. de reſtit & ea quæ parit vnd. menſ. §. quamobrem, niſi dicamus auctam eſſe quoque Trebellianicam & falcidiam in eius perſona. Quo caſu qui de inofficioſo agere poteſt, Trebellianicam detrahet vt iure veteri: aut vtram velit, cùm in hoc nihil interſit. Sed ſi filius non ex aſſe, ſed ex minori portione (quæ tamen ſupra legitimam excurrat) ſit hæres ſcriptus, & rogatus de reſtituenda hęreditate, dubitatur an poſſit de inofficioſo iudicium mouere, cùm non habeat in quarta Trebellianica integram legitimam. Vt ſi ex ſemiſſe inſtituatur, nomine Trebellianicæ ſeſquiunciā tantùm cōſequętur, cum ei debeantur tres vnciæ ad excludendam querelam: & hic caſus proponitur in l. Papinianus. §. vnde ſiquis. D. de inoff. teſtam. vbi quod dicitur de ſextante, ita exaudiendum, vt filius iam acceperit vnciam, ſiue duodecimam partem bonorum, donatione inter viuos ea contēplatione ſibi facta vt in quartam haberetur: vel filia, nomine dotis. Exemplum enim quòd apponit Accurſ. de filio herede inſtituto exiſtente nepote ex filia eſt, ex conſtitutione Valen-

tiniani Theodoſ. & Arcadij, qui multò poſt Vlpianum vixerunt. l. ſi defunctus. C. de ſuis & legit. hered. Poſſet etiam dari exemplum de fratre non emancipato, qui emancipato aufert tertiam partem in ſucceſſione fratris defuncti, vt docet Theophilus Inſt.tit.de ſucceſ. cogna. & ſextantem ex teſtamento habere debet: niſi id ius conſtitutione Anaſtaſij inductum fuiſſet, vt patet ex §. 1.inſt. tit. de ſucceſſ. cogn. Sed ad rem. Si quis, inquam, fuerit heres inſtitutus ex ſemiſſe, cùm ei ſextans nomine legitimę ad excludendam querelam deberetur, & rogatus ſit poſt certum tempus, puta poſt decennium hereditatem reſtituere, an ei dabimus querelam? & videtur, ei eſſe concedendam, eo quòd integram portionem, id eſt ſextantem non habeat in Trebellianica, quam hoc caſu detrahit. Contrarium tamen reſpondet Vlp. cum poſſit ex fructibus hereditatis quos intra decẽnium percipiet, integrum ſextantem & eius fructus cogere: fructus enim hereditatis in falcidiam imputantur; vt ipſe ait, id eſt in legitimam. Commodum eſt vt falcidia hîc pro legitima potius quàm pro Trebellianica accipiatur: Quamuis aliquando ponatur pro Trebellianica. Imputãtur quoque fructus in Trebellianicam, vt dicitur in l. in fidei commiſſaria. D. ad ſenatuſc. Trebell. non etiam in falcidiam, niſi ij tantùm qui maturi eſſent tẽporę mortis teſtatoris. l.9. D. ad legem falc. non etiam ij qui poſt mortem & ante aditam hereditatem accreſcunt ex fœtu pecorum, ex partu ancillarum, ex operis ſeruorum, aut ex alijs, quæ quidem ſupra quartam habentur. l. in quantitate. 73. D. ad leg. falci. Hodie fructus neque in legitimam, neque in Trebelliani-

eam imputantur in liberis primi gradus.i. in filijs: tametſi id teſtator iuſſerit, ex conſtitut. Leonis .l. iubemus C.ad Trebell. quæ loquitur de Trebellianica. Sed id multò magis in legitima admittendum eſt. Ad nepotes autem, pronepotes & cæteros deſcendentes non extenditur illa conſtitutio, vt patet ex eo quod dicitur ad finem: ſed in parentibus primi gradus.i.in patre & matre an locum habeat, dubitari poteſt. Et ait Guido Papius, locum habere, cùm eodem modo debeatur legitima aſcendentibus in bonis deſcendentium, quàm deſcentibus in bonis aſcendentium, atque ita iudicari in ſenatu Gratianopolitano teſtatur quæſt. 478. Sunt verò qui id trahunt hodie ad nepotes & pronepotes, atque ad alios quoſcumque tam deſcendentes quàm aſcendentes, vt ſcilicet fructus non imputent in legitimã, propter legẽ, ſcimus. §. repletionẽ. C. de inoff.teſt. Sed malè. Ibi enim ait Iuſtinian⁹ legitimã repleri ex ipſa ſtantia paterna, nõ ex iis rebus quæ ex aliis cauſis proueniant: veluti, quæ ex ſubſtitutione, vt ſi filius ſit patri ſubſtitutus: Item ex iure accedendi, vt ſi patri vſus fructus, filio proprietas fuerit relicta, & poſt mortem patris vſusfructus proprietati acceſſerit. F. Hotomanus vir doctiſſimus alio argumẽto id euincere tentat Obſeru. lib. 4. cap. 2. Nouo iure, inquit, legitimarij omnes heredes ſunt, ac proinde erciſcundæ familiæ iudicium inter eos competit. l. 2. C. de inoff. donat. l. 2. §. 2. D. de fam. erciſ. vnde conſentaneum eſt, vſitatum ius hæredum inter eos locum habere, vt fructus ante illud iudicium percepti hereditarias portiones augeant. l. non eſt. C. fam. erciſc. hoc eſt, vt fructus in aſſem hereditarium

confuſi portionem legitimæ maiorem efficiant ſiue de nepotibus ſiue de aſcendentib⁹ agitur. Hæc Hotom. ex quibus non efficitur, quod vult ipſe, fructus, nempe hæreditatis in legitimam aſcendentium aut nepotum hodie non imputari. Sed illud tantummodò, eos integram legitimam cum fructibus, ſiue fructibus auctam conſequi debere, quod nemo inficias iuit, cùm id nominatim dicatur d. inl. §. vnde ſiquis. & in alijs locis. Non enim rectè ſequitur, vt ſi hæres eam portionem ex qua inſtitutus eſt ſimul cum fructibus ante iudicium familiæ erſciſcundæ perceptis conſequi debeat: fructus eius hæreditatis, quam fuit rogatus reſtituere in Trebellianicam aut legitimam ei non debeant imputari. Ex ijs autem quæ diximus pendet explicatio inſignis loci apud Saluian. lib. 3. ad Eccleſ. Cathol. quo in libro poſtquam in eos parentes loquutus eſt, qui filijs religioſis minorem ſuorum bonorum portionem relinquunt, quàm alijs: *At non omnes*, inquit *pari fortè iniquitate agunt cum filiis: ſunt enim ex parentibus multi qui æquales filiis ſuis faciant portiones: niſi quòd vna tantùm eos cõditione diſcernunt, quòd in iis ipſis partibus quæ Religioſis videntur adſcribi, vſum iubent, ad eos proprietatem, ad alios pertinere. At verò hoc multo eſt peius & infidelius, tolerabilioris quippe impietatis eſſe videtur cum proprietate filiis ſuis minus relinquere, quàm proprietatem rerum iis penitus auferre. Filijs enim qui proprietatem rerum non tribuit, nihil relinquit.* Hæc Saluianus Theologicè: nos verò totum hunc locum ad iuris ciuilis regulas exigamus. Et quod de filijs religioſis loquitur Saluianus, nihil mutat: cùm his debita portio ad excludendam querelam iure

noſtro relinqui debeat. l. Deo, C. de epiſc. & cler. quamuis non ex Galliæ conſuetudine. Sed an eis dabitur querela in hoc caſu quo in vſu fructu heredes inſtituuntur, alijs relicta proprietate? Et non dabitur iure veteri, ſi integra portio & eius fructus ex huiuſmodi vſufructu cogi poſſit, ex ſententia Vlp. in. d. §. vnde ſiquis. Dabitur verò, ſi non poſſit cogi. dabitur iure nouo etiam ſi cogi poſſit: eo quòd legitima liberis primi gradus non ex ipſis reditibus, ſed ex rebus paternis detrahi debeat ex conſtit. 2. Zenonis, cuius ætate vixit Saluianus. d. l. iubem[*]. C. ad Treb. iure nouiſſimo non competit querela, ſed conditio ex l. omnimodo, qua condicitur: legitima ex ipſis rebus paternis, quemadmodum nec in caſu propoſito in d. §. vnde ſiquis cùm remoueatur hodie omne grauamen ipſo iure, & repleatur id quod deeſt l. quoniam in priorib. C. de inoff. teſt. & nouell. conſt. de trient. & ſemiſſ. §. prohibemus.

## *De caſu fortuito, ad Tit. de condict. cauſ. dat. cauſa non ſecuta.*

### CAP. VIII.

QVi nullum eſſe in iure contrarium vociferamini, aduertite huc parumper, & eum ſoluite nodum, quem non ſoluo: habebo gratiam: habebunt alij. Quæſtio eſt de eo qui aliquid accepit vt aliquid daret aut faceret. Si aliquo fortuito caſu fiat, quominùs dare aut facere poſſit, an cogatur rem quam accepit reſtituere? Verbi gratia, Dedi

pecuniam vt ſeruum manumitteres, aut vt eum mihi dares. Mortuus eſt ſeruus ante traditionem aut manumiſſionem. Cuius erit periculum: An tuum, an verò meum? Et id generaliter conſtituũt. Impp. Diocl.& Maximin.l.pen.C.de condict. ob cauſ. periculum pertinere ad eum qui dedit pecuniam, ſi caſu fortuito cauſa pro qua data eſt non fuerit ſubſequuta: aliud verò ſi culpa accipientis. Proculus quoque apud Vlp. in l. 5. in princ. verſ. Sed ſi Stichus, D. de condict. cauſ. dat. ait, ſi poſt id tempus quo manumitti potuit ſeruus, deceſſerit, periculum ad eum pertinere qui pecuniam accepit, vt eum manumitteret, & idcirco pecuniæ repetitionem dari. Quod ſi antequam manumitti poſſet, deceſſerit, dãnum eſſe eius qui pecuniã dedit, ob eámque cauſam eius repetitionem non habere. Paulus quoque id ita perſpicuè tradit, in l.naturalis, in prin. verſ. ſed ſi ſcyphos. D. De præſcr. verb. vt nulla iam videatur hac in re dubitandi cauſa. *Si ſcyphos tibi dedi,* inquit, *vt Stichum mihi dares, periculo meo Stichus erit, ac tu duntaxat culpam præſtare debes.* Ex quibus locis illud colligitur, ſi per eum qui accepit ſtet quò minus det aut faciat. i. ſi eius culpa argui poſſit, pecuniam ab eo aut aliam rem datam repeti poſſe: ſi verò caſu fortuito res perierit, repetionem non dari, ſed damnum ad eum ſpectare qui dedit. Idémque conſtituitur etſi aliquo iuſto impedimento fiat, quò minus cauſa, ob quam datum aliquid eſt, ſubſequatur: verbi gratia, Si per aduocatum qui pecuniam acceperit aduocationis cauſa, non fiat quò minùs fidem adimpleat. l. vlt. C. eodem l. qui operas. D. locat. Idque verum, etſi morte præuent⁹ fidem præſtare non potue-

rit ex conſtitutione Seueri. l. 1. §. diuus. D. extraord. cogniti. quod & in legato conſtituitur. l. legat*. §. 1. D. de legat. Eum quoque qui operas ſuas locauit totius temporis mercedem accipere debere, ſi per eum non ſteterit quominùs operas præſtet, vt traditur in l. qui operas, D. locat. & l. ſed addes. 19. §. vlt. D. eod. Et de iuſto impedimento loquitur quoque lex. 5. in pr. D. eod. in qua tamen ideò non competit repetitio regulariter, quia cauſa talis eſt, vt adimpleri adhuc poſſit. Sed nobis hac in re faceſſit negotium lex vlt. D. eod. In qua regulariter traditur, periculum pertinere, non ad eum qui dedit pecuniã, ſed ad eum qui accepta pecunia Stichũ dare debet, ſi perierit Stichus antequam tradatur. Niſi dicamus Celſi verba reſtringenda eſſe ad eum caſum, quo mortuus eſt Stichus culpa eius qui eum dare debuit. Nam Celſus in eo præcipuè laborat, vt probet hoc negotium (dedi pecuniam, vt Stichum dares) non eſſe venditionem, ſed contractum, do vt des, atque vt oſtendat quid interſit, eſſe potiùs contractum, do vt des, quàm emptionem & venditionem: quod facit his tribus caſibus propoſitis, in quibus, ait repeti poſſe quod datum eſt, quod non fieret, in emptione & venditione, ſed ageret emptor ad id quod intereſt. Primus eſt, ſi Stichus perierit, tunc enim repetitur id quod datũ eſt, nempè ſi culpa accipientis perierit, quod non fit in emptione & venditione, ſed agit emptor ad idquod intereſt. Secundus, ſi Stichus alienus ſit. Tertius, ſi non caueat de euictione is qui eum debet dare: ageret, inquam, emptor his caſibus ad id quod intereſt, quemadmodũ & is qui dedit ſi vellet: nam electio-

nem habet, vt docuimus. Sed non poſſet repetere id ipſum quod dedit. Hæc eſt vera, ni fallor, illius legis ſententia, quam latiùs non explico. Alias fortè explicabo, video enim doctiſſimos viros à Celſi mente aberrare, Cujaciũ, inquam, obſeru. lib. 23. & Anton. Fabrum Coniect. lib. 6. cap. 10. Sed neſcio quo pacto me expedio à lege 6. verſ. Sed vbi accepit D. eod. vbi non obſcurè indicat Vlp. ad eum qui pecuniam accipit vt ſeruum manumitteret, periculum pertinere ſi mortuus fuerit ſeruus ante manumiſſionem, regulariter inquam pertinere, non modò ſi moram fecerit, ſed etiam ſi non fecerit: cuius rei hãc reddit rationem: Quia & deceſſiſſet ſeruus, ſi ipſe pecuniam non accepiſſet vt manumitteret. Inde autem excipit quoſdam caſus qui magis regulam confirmant: nempè ſi ſeruum diſtracturus erat, niſi pecuniam accepiſſet vt manumitteret: vel etiam ſi profectio manumiſſionis gratia morti cauſam præbuit. Fateor me adhuc veram huius diſſidij componendi rationẽm non inueniſſe. Nam quæ Accurt. aliíque adferunt mera ſomnia, cùm tamen ex aduerſo pugnẽt tot iuris loci tam aperti: magis ẹſt vt ſequamur diſtinctionem ſuperiùs traditam, quam ex Proculo proponit idem Vlp. in eadem facti ſpecie, d. l. 5. verſ. ſed ſi Stichus.

## *An fictio breuis manus in mutuo locum habeat.*

### CAP. IX.

QVeſtio eſt non incelebris, an fictioni breuis man' locus ſit in mutuo: quam, omiſſis aliorũ explicationibus, meo arbitratu breuiter pertractabo. Puto hac in re diſpiciendum vtrum à domino proficiſcatur pecunia, an ab alio eius nomine, vt ſi à domino fictioni breuis manus locus ſit: veluti ſi cùm tu pecuniam meam haberes ex cauſa depoſiti, conuenerit deinde vt habeas ex cauſa mutui, qua in re inter ſe conſentiũt veteres Iuriſconſulti. l. certi condictio, §. vlt. D. de reb. credit. l. ſi negotia. D. mand. Idémque dicendum, ſi cum tu haberes ex cauſa commodati, conuenerit deinde vt ea vtaris. Commodari autem poſſe pecuniam docet lex, Si ego pecuniã, D. de reb. credit. & aliæ quamplurimæ: nec diuerſum quidquam ſtatui debet, ſi ego tibi pecuniã tradiderim, vt tu ex ea aliquid emeres aut faceres meo nomine, ex cauſa mandati. Nam de hac ſpecie exaudiendum eſſe Vlpianum arbitror in l. ſingularia, D. de reb. credit. In his omnib' caſibus & ſimilibus, fictioni breuis manus, locum eſſe dicimus, vt mutuum contrahatur. Quia fingimus pecuniam ad eum à quo primò profecta eſt, ex cauſa depoſiti aut mãdati rediiſſe, & ab eo rurſus ei qui eam tenet, redditam fuiſſe ex cauſa mutui. In quibus omnibus caſibus animaduertendum à domino pecuniam proficiſci. Aliud verò ſtatuendum ſi à non domino, quam-

uis pro ipſo domino aut ex re ipſius proficiſcatur vt ſi procurator qui pecuniam exegit à debitoribus ipſius domini eam retineat ex cauſa mutui cóſentiēte domino, vt ait Africanus in d. l. qui negotia, quē ſic concilio cum Vlpiano in d. l. ſingularia. Item ſi conuenit vt emptor pecuniam quam debet ex cauſa emptionis & nomine pretij, habeat ex cauſa mutui. l. ſi ex pretio. C. ſi certum petatur. ſimulatio enim de qua loquuntur Impp. Dioclet. & Maximinianus in d. l. ſi ex cauſa, nihil aliud quàm fictio breuis manus. Nam id fuit actum inter contrahentes, vt quæ debetur pecunia ex cauſa venditionis, debeatur ex cauſa mutui, dum illud in inſtrumento ſcribitur deberi pecuniam ex mutui cauſa cum vſuris, quaſi pretium acciperet vēditor: idque rurſus emptori dederit mutui nomine, & quod ibidem dicitur vſuras ex pacto nō deberi factis pro infectis habitis. Sic exaudiēdum, Non deberi ex pacto, ſed ex natura contractus: nempe ſi res tradita fuerit pretio non ſoluto, l. 2. C. de vſur. in his caſibus & ſimilibus ideò non admittitur fictio breuis manus, quia pecunia non proficiſcitur ab ipſo domino, ſed in primo caſu à debitoribus domini. Pecunia autem quæ eſt in nominibus noſtra dici non poteſt, vt docet Tullius in Topicis, & Iuriſconſulti paſſim. In ſecunda verò ſpecie debebatur ex cauſa venditionis, & idcirco venditoris dici non poterat ante traditionem: benignè tamen receptum eſt, & ſingulari quodam iure i. reſcripto quodā imperatorio in vno caſu, vt locus ſit fictioni breuis manus, quamuis ab alio, quàm à domino, pecunia profecta ſit, nimirum, ſi iuſſero debitorem meū tibi pecuniam dare vt eam mutuo habeas. d. l. qui negotia

gotia. & l. ſingularia. Id autem cùm ſit introductum iure ſingulari, non debet trahi ad conſequentias, & ad ſimiles caſus: etiam ſi in ijs par ſimiliſque ratio verſetur. Iam quid dicemus, ſi quis lancem, vel maſſam auri, aut aliam eiuſmodi ſpeciem alicui tradiderit vt pecunia inde redacta vteretur tãquam mutua? An dicemus contrahi mutuum in hoc caſu fictione breuis manus? Negat Africanus in d.l. qui negotia. contrà cenſet Vlpianus in d.l. rogaſti. Neque vlla componendi diſſidij ratio, niſi dicamus Africanum ius ſummum, Vlpianum æquitatem ſequutos fuiſſe. Iure ſtricto mutuum, ideo non contrahitur: quia pecunia ex venditione lancis aut maſſæ redacta, non cenſetur à domino profecta: aliud enim eſt maſſa, aliud pecunia ex ea redacta. At æquitas id dictat, vt quamuis aliud ſit maſſa, aliud pecunia ex pretio redacta, eodem tamen iure habeatur hac in re, quo & maſſa, idémque ſit ac ſi à domino data fuiſſet. Sunt qui hæc omnia aliter explicant, quos ego non moror, ſi tamen ſint quibus probetur magis D. Cujacij opinio, qui cenſet hodie fictionem breuis manus, indiſtinctè admittendam eſſe in his omnibus caſibus, & ſimilibus, haud multùm pugnabo: eum vide in tract. 8. ad Afric. ad d.l. qui negotia.

## *An quis alieno nomine accuſare poſſit.*

### TIT. X.

NEminem alieno nomine accuſare poſſe colligitur ex l. 2. C. de his qui accuſ. non poſſ. Idque ideò, quia & nemo per procuratorem accuſare poteſt

l. vlt. §. 1. D. de pub. iudic. Hæc inter ſe differunt, nā procurator, ſi admittatur in aliquo caſu, non dicitur accuſator. l. vlt. C. de iniur. Is verò qui alicuius nomine, ſiue pro aliquo ad accuſandum admittitur, verè accuſare dicitur d. l. 2. C. de his, qui accuſ. nō poſſ. l. tutorem. D. de his quibus vt indig. & aliis multis. Plus eſt autem accuſare alieno nomine quàm accuſare procuratorio nomine. Ratio autem, cur alieno nomine regulariter accuſare non liceat, hæc reddi poteſt: Quia nimirum accuſatio eſt legis actio, lege autem agere nemo poteſt alieno nomine. l. nemo. D. de reg. iur. Atque ad hanc rem pertinet inſignis Apulei locus ex Apologia: *At ne id quidem de profeſſo audet, verùm poſtera die dat libellum nomine priuigni mei Sicini pudentis admodùm pueri, & adſcribit, ſe ei aſſiſtere, nouo more per alium laceſſendi, ſcilicet vt obtentu eius ætatulæ. Ipſe inſinuationis falſæ non plecteretur, quod cùm tu ſolertiſſimè animaduertiſſes, & idcirco eum denuò iuſſiſſes proprio nomine accuſationem delatam ſuſtinere, pollicitus ita facturum, ne ſic quidem quietus eſt.* Hîc autem quæritur, an Tutor, vel curator pupilli aut adoleſcentis nomine accuſare poſſit? & poſſe nominatim traditur in d. l. tutorem, & in l. Polla. C. de his quib. vt ind. l. aduerſus §. 1. D. de inoffic. teſtam. §. ſi tutor. inſtit. tit. de inoffic. teſtam. quamuis & pupillus ipſe proprio nomine accuſare poſſit ex conſenſu ipſius tutoris, vt patet ex l. 2. §. vlt. D. de accuſat. ex Paulo, Sent. lib. 5 tit. 12. §. 4. hodie tamen requiritur tutoris authoritas, nedum cōſenſus, ex conſtitut. Iuſtiniani. l. vlt. C. de auctor. præſt. dicam quoque ipſum tutorem aut curatorem proprio nomine accuſare poſſe pupilli cauſa, vt loquitur lex

vlt.D. de poſtul.ſiue nõ ſuę perſonæ iure,ſed pupilli, vt dicitur in d. l.tutorem. Puta in hunc modum, *L. Titius tutor Eugenii cautiones quibus Secundinus ſolutam Eugenio patri pecuniam probare intẽdit, falſas eſſe aio*, Vel ita, ſimpliciter, *L.Titius cautiones, &c.* nulla tutoris mẽtione facta. Nam cùm Titius tutelam Eugenij adminiſtret, id ſatis argumenti habebit, eum tutorio nomine accuſare, non proprio. Et iuxta hanc ſententiam putarem,ita legendum in d.l.2. C. de his qui accuſ. *proprio nomine, cùm & liceat alieno*. i. cùm & liceat pupilli nomine:niſi quis exiſtimet tollenda illa verba *(cùm non liceat alieno)* quæ fortè ex notula in textum irrepſerũt,ſed hoc nimis audacter: ſiue autem tollantur ea verba, ſiue admittatur ſuperior emendatio,ſententia huius legis hæc erit: Poſſe tutores proprio nomine ex cauſa pupilli, aut etiam alieno ipſius pupilli nomine cautiones Secũdini falſas dicere,nec eis admodũ timendũ de calumniæ nota, quæ non facilè eis irrogatur, qui non voluntariè,ſed officij neceſſitate ducti ad accuſandum veniunt, vt etiam dicitur in l.2.C.de calumniato:hæc, vt arbitror,melius cohęrent,quàm quæ ab alijs afferũtur: Parùm enim probatur Accurtij ſententia, qui putat,tutorem proprio nomine accuſare debere:pupilli nomine non poſſe,cùm in tam multis legib.dicatur eum pupilli nomine accuſare poſſe. Min⁹ ſententia Bartholi,dũ ait tutorẽ proprio nomine in crimen ſubſcribere,pupilli nomine accuſare ex l.vlt.C. de iniu. cuius apperta eſt fallacia. Nam illuſtres perſonæ in ea lege & inſcriptionem edunt proprio nomine,& propriè accuſatores dicuntur: quamuis per procuratorem poſt inſcriptionem crimen perſequi

eis conceſſum ſit: Quod ſi id admittendum, vt alter ſit inſcriptor, alter accuſator, pupillus ſubſcriptor eſſe deberet, tutor verò accuſator: iuxta illã legem. Nam tutor procuratori comparatur: Pupillus illuſtri perſonæ. At id fieri nõ poſſe, patet ex lege ſecunda. C. de his qui accuſ. non poſſ. vbi tutores & curatores proprio nomine ſubſcribere poſſe dicuntur. Mouit me aliquando D. Cuiacij coniectura, qui nõ *proprio nomine*, ſed, *pupilli nomine* legendum cenſet in notis ad lib. 5. ſentent. Paul. tit. 12. §. 4. & ſequentia verba, *cùm non liceat alieno*, ita interpretatur, *quamuis non liceat alieno*, dictionem (*cùm*) pro coniunctione aduerſatiua, accipiens hoc ſenſu: Poſſe tutorẽ pupilli nomine accuſare, quamuis regulariter nemo alieno nomine accuſare poſſit. Vera quidem ſententia quam inde elicit, ſed eam verba legis non ferunt: potiùs enim reponendum eſſet, *tuo nomine*, quia imperator Antoninus pupillum alloquitur aut *pupilli & adoleſcentis nomine*, quia de Tutoribus & curatoribus mẽtio habetur, quod & verba ſequentia ſatis arguunt: vt omittam illa verba *cùm non liceat alieno*, ingratiis detorqueri in hunc ſenſum. Quamuis non liceat alieno, inſolenti loquẽdi formula. Hæc ego pro arbitrio explicaui: ſi cui tamen alia probãtur magis, haud multùm pugnabo. Obſcurum bellum hac in re & ſine præda parúmque vtile, ni fallor. Modò enim conſtet, Tutorem pro Pupillo, ſiue ex cauſa pupilli accuſare poſſe: cumque ex hac cauſa non facilè calumniam ferre: in idem recidere, vnuſquiſque ſanus probabit, ſiue tutor proprio, ſiue pupilli nomine accuſet, modò in re pupilli & tanquam ipſius negotium gerens accuſationem inſtituat.

## *An periculum rei venditæ & nondum traditæ pertineat ad emptorem.*

### CAP. XI.

PVgnabo adhuc hoc capite cũ D. Cuiacio. Docti ne excandeſcite: Indocti ne exultate. Iam dicti pœnitet, ideóque non pugnabo, ſed modeſtè & verecundè ſententiam meam proponam ſuper ardua quæſtione. Nec tam ab illo diſſentiam quàm ab Africano qui à cæteris diſſentit, quemque ille ſequitur. Quæritur ad quem pertineat periculum rei venditæ poſt perfectam venditionem ante traditionem: ad emptorem, an ad venditorem: Id eſt, cuius damno pereat res vendita. Dico ad emptoren pertinere. Idem Cuiacius ſentit. Sed hîc rurſus quæritur quid periculi nomine intelligamus? Vult Cuiacius id ſolum quod emptoris interſit venire iſto verbo: non autem iacturam pretij, cuius nomine aduerſus venditorem actionem dat emptori cum Africano in l. ſi fundus. D. locat. Non igitur poterit emptor ex eorum ſententia petere quod ſua intereſt rem emptam ſibi non tradi. Et hoc erit, illud periculum, id eſt damnum & detrimentum quod ad eum ſpectare aiunt iuriſconſulti. Pretium tamen aut à ſe promiſſum non dabit, aut iam traditum repetet actione ex empto. At iuxta hanc ſententiam periculum non ad eum ſpectat, qui maius ſentit damnum, ſed ad eum qui leuius. Nam venditor rem ſuam amittit, emptor pretium non amittit, & huiuſ-

modi damnũ nihil eſt aliud, quàm lucrum ceſſans. Et tamen id nobis perſuadere conatur, D. Cuiacius damnum ferre emptorem non venditorem: quia, inquit, actionem non habet nomine eius, quod intereſt. At illud intereſſe eſt lucrum non damnum, maximè verò ſi cum rei iactura conferatur. Dum igitur aiunt iuris authores, tot in locis, perfecta venditione etiam ante traditionem periculum ſpectare ad emptorem, vt in l. cùm inter. &. l. vlt. C. de peric. & com. rei vend. l. 1. §. Sed & cuſtodiam. l. ſi vendita, l. lectos. D. eodem. §. cùm autem. Inſt. tit. de empt. & vend. & alijs multis, putidum ſit illud periculum de lucro captando, vt noſtri loquuntur, intelligere, & non potiùs, de pretij iactura. Idque etiam hac ratione confirmari poteſt, quòd ad emptorem perfecta ſemel venditione pertineat omne lucrum atque emolumentum rei emptæ. l. 1. C. de peric. & commod. l. penult. C. de action. empt. & vend. Ergo omne damnum & detrimentum ad eum quoque ſpectare debet: nullum verò ad venditorem qui iam ſecurus eſſe debet, quique vt lucri expers eſt, damni quoque immunis eſſe debet. Deinde ſi in perſona emptoris periculi nomine ſolum lucrum ceſſans venire volumus, non etiam pretij amiſſionem: idem quoque in perſona venditoris, admittamus neceſſe eſt. Vt dum dicimus periculũ ad eum ſpectare, id exaudiri debeat, non de rei iactura, ſed de lucro quod ex pretio conſequi potuiſſet: quod eſt abſurdum. Sed ego rationes haud conquiro, vbi expreſſa & perſpicua extant legum verba. Iam igitur & Imperatorum & Iuriſconſultorum authoritatibus doceo, periculi nomi-

ne, non modò id quod intereſt, ſed etiam pretij iacturam venire: id eſt, vbi ſine culpa venditoris perit res vendita perfecta venditione ante traditionem, periculum ſiue damnum ita ad emptorem pertinere, vt pretium cedat venditori, atque ita cedat vt ſi nondum fuerit traditum, eius nomine actionem habeat venditor. Fatetur quidem, D. Cujacius, id perſpicuè doceri in Inſtitutionibus, tit. de emp. & vend. Sed cùm ibi rudimenta tradantur eorum quæ poſtea latiùs in alijs libris explicantur, illum locum aſpernatur, & nihili ducit. Nos quidem concedimus rudimenta, tradi in inſtitutionibus: ſed illud negamus, pugnare ea præcepta cum ijs quæ in alijs libris proponuntur. Latiùs quidem ea omnia explicantur in Digeſtis, ſed non mutatis principijs: non ſubuerſis fundamentis: quod fieret in hac quæſtione quam modo tractamus. Sed eſto, nulla habeatur ratio hac in re illius loci: faceſſat Iuſtinianus cum ſuo illo libello, quamtumuis terſo & polito. Nihil efficis docte Cujaci: Accurrunt iam alij, téque oppugnant, imò expugnant, cùm in ijs non valeat illa tua ratio. Audi iam Imperatores, Diocletianum & Maximiā. in l. vlt. C. de peric. & cōmod. rei venditæ, ita loquētes. *Mortis caſus, aiunt, ancillæ diſtractæ, etiam ante traditionem, ſine mora venditoris dilatam, non ad venditorem, ſed ad emptorem pertinet. Et hac re non ex præterito vitio rebus humanis exempta ſolutionem pretij emptor non rectè recuſat.* Quodnam hîc effugium quæri poſſit, non video. Mortua eſt ancilla vendita fortuito caſu, ſine culpa, nulla mora adhibita ante traditionem, emptor nihilominùs tenetur ad pretium quod nodum ſoluerat. At iuriſconſulti, fortè

non ita ſentiunt. Non quidem Africanus, ſed eo excepto, cæteri conſentiunt. In primis ij omnes qui periculum aiunt ad emptorem pertinere perfecta emptione, vt iam explicauimus. Deinde Iulianus in l. cum emptor. §. 1. D. de reſcind. vend. vbi ait, *mortuo homine vendito, perinde habendam eſſe venditionem, ac ſi traditus fuiſſet, vtpote cùm venditor liberetur, & emptori homo pareat.* At ſane non periret emptori, ſi is pretium recuperaret, ſed potiùs venditori. Sed id clariùs exprimit Paulus, in l. ſi in emptione, 34. §. penult. D. de contrah. emp. vbi, ſi ita facta fuerit emptio, *eſt mihi emptus Stichus, aut Pamphilus,* quoniam eſt in electione venditoris quem velit dare, prioris periculum ad venditorem ſpectabit. Sed ſi alter poſtea decedat, vel etiam ſi omnes ſimul, pretium conſtitutum debebitur. Idem Paulus in l. venditori. D. de hered. vel action. vend. perſpicuè docet venditorem, pretium hominis à ſe venditi, lucrari mortuo homine, ante traditionem. Hæc cùm ita ſint, ingenuè fateamur, Africanum à cæterorum opinione, & ſententia recedere: quid autem comminiſci poſſit ad componendum diſſidium vix ſatis perſpicio: loquitur quidem Africanus de fundo publicato, damnumque ex publicatione creatum ad locatorem, ſi fuerit fundus locatus, & ad venditorem, ſi fuerit venditus ſpectare contendit: extra hunc caſum videtur Africanus aliorum partes ſequi, in l. ſi ſoluturus, in fin. D. de ſolut. Vbi ait, perfecta venditione mercem venditam, & nondum traditam eſſe periculo emptoris, cùm per venditorem non ſtat, quominùs tradatur, vt iam ab alijs animaduerſum. Deinde loquitur Africanus,

de fundo publicato ante traditionem, aliud ſine dubio dicturus de publicato, poſt vacuam poſſeſſionẽ traditam cum Paulo. In l. Lucius, D. de euictionibus. Cur autem aliud ſtatuatur in fundo publicato, quàm in alijs rebus quæ pereunt alijs caſibus; ratio quidem obſcura eſt, nobíſque incognita: ſed an ideo minùs cætera quæ ab alijs docentur rata eſſe volumus? An propterea aliorum ſententias, tam claras ac perſpicuas, ad hunc caſum fingendas, aut detorquendas eſſe cenſemus? Vincant ſaltem numero & multitudine alij, & vnicum Africanum ſuperent: aut valeat illius opinio ſingularis in caſu ſingulari, nec ad alios porrigatur, ne ipſemet diſſentiat à ſemet ipſo.

## *Rurſus de eadem re aduerſus Antonij Fabri coniecturam.*

## Cap. XII.

QVem belli ſocium habuit Antonius Faber in ſuperiori expeditione, eundem nunc aduerſarium experiatur. Fatum hoc ciuilium bellorum, vt victoria inter victores pugnam & diſſidium pariat. Imbelle tamen erit hoc bellum. Mihi enim res cum docto & literato viro, cuius libellos ſane quàm elegantes multæque lautitiæ cum voluptate lego. A quo nõ animo, ſed iudicio hac in re diſſentio, dum vterque verum quęrimus. Si errauero quæcunque à me ſcripta erunt libéter ſpongia deleuerim: ſin contra à me veritas, & pro me patiatur æ-

quo animo, me quoq; pro ea ſtare. Is igitur Cõiect. lib. 2. cap. 4. in ſuperiori quæſtione diſtinguẽdum cenſet, an ex cauſa aliqua extrinſeca, an verò per ipſam rem venditam fiat quominùs tradi poſſit. Priori caſu vult periculum ad venditorem ſpectare: eum tamen liberari ſi actiones aliquas habeat, eaſque cedere paratus ſit. Poſteriori vult indiſtinctè periculum eſſe emptoris. Ergo cùm publicatur fundus, aut furto abſtrahitur ſeruus, quia id accidit ex cauſa aliqua extrinſeca, damnũ erit venditoris, vt ipſe ſentit, ita tamen vt ſeruo furto ablato, ſatis habeat actiones ſuas cedere, fũdo verò publicato, quia hoc caſu nullas habet actiones, ad pretij reſtitutionem teneatur: cùm autem res vendita ruina, incendio, naufragio, morte aut alio eiuſmodi caſu perit, quia tunc per ipſam rem fit quominùs tradi poſſit, ideo emptorẽ his caſibus ad pretij reſtitutionem teneri. Specioſa mehercule diſtinctio, & quæ me aliâs prima facie ad ſe pellexit, à qua tamen re tota paulò attentiùs conſiderata pedem retraxi, dum eam non minùs ratione indigere perſpicio, quàm ſuperius illud Africani reſponſum, huius noſtri diſſidij fax. Cur enim ſpectat periculum ad venditorem, vbi cauſa eſt extrinſeca? Quia res non periit, inquit: Imò periit emptori aut venditori: & niſi periiſſet, nulla eſſet quæſtio: At per rerum naturam præſtari poteſt. Imò idem omnino eſt ac ſi in rerum natura non eſſet, quando id efficit caſus ſuperueniens ne præſtari poſſit: Ex eo autem, inquit, quod per rerum naturam præſtari poteſt, illud efficitur, vt liberetur venditor dum actiones habet quas cedat. Imò non ideò liberatur, quia poteſt actiones ſuas cedere, ſed quia damnum emptoris eſſe

debet. Nam diſertè tradunt iuris authores hac in re periculum pertinere ad emptorem: venditorem verò ſecurum remanere: æquum tamen eſſe vt venditor actiones ſuas emptori cedat, §. quòd ſi fugerit. Inſtit. tit. de contrah. empt. & l. eum qui in princ. D. de fruct. vt nimirum eius commodo cedat, ſi quid inde erui poſſit. Non ergo id dicunt iuris authores, Periculum ad venditorem pertinere: eum tamen actiones ſuas cedendo liberari: quod clarum & expeditũ eſſet. Sed illud, periculum etiam hoc caſu ad emptorem pertinere: ita tamen vt venditor ei cedat actiones ſuas, quibus, ſi liceat, vti poſſit. Pretium ergo erit ipſi venditori acquiſitum, ſiue aliquid conſequatur emptor iſtiuſmodi ceſſionis beneficio, ſiue non. Denique illud perpetuum eſt in iure noſtro, vt quoties periculum alicuius rei ad aliquem pertinet, toties alter contrahentium eius rei nomine actiones, ſi quas habet, cedere debeat, vt in l. ſi pecuniã, §. quod ſi fugit. D. de condict. cauſ. dat. l. lectos & ſeq. D. de peric. & commod. rei vend. Alfenus ſanè in l. ſi vendita. D. de peric. & commod. rei vend. combuſtæ inſulæ periculum ante traditionem ſpectare ad emptorem ait, etiam eo caſu quo ſeruorum negligentia incendium factum eſſe dicitur, nec quidquam exprimit de ceſſione actionis, quam habet venditor aduerſus ſeruum. Quod tamen ſubaudiendum. Sed interim illud notemus, huiuſmodi actiones quæ cedi poſſunt, non efficere vt venditor periculo liberetur: Alioquin & illud dicendum eſſet, vbi inanes exiſterent iſtæ actiones, atque ita inutiles, vt nihil ex ijs conſequi poſſet emptor, periculum ab eo ad emptorem reuerti debere, quod eſt abſurdum. Subruitur

præterea Fabri diſtinctio ex eadem l. ſi fundus. D. locat. Vbi quamuis non ex cauſa extrinſeca, ſed per ipſam rem nat, quo minùs conductor re conducta vti poſſit, nihilominus periculum ad ipſum locatorem ſpectat. *Quemadmodum*, inquit Africanus, *ſi inſulam ædificandam locaſſes, & ſolum corruiſſet, nihilominus teneberis*. Loquitur de locatore, quem aſſimilat venditori his ſequentibus verbis: *Nam & ſi vendideris mihi fundum, iſque priuſquã vacuus traderetur, publicatus fuerit, tenearis ex empto*. Idémque poſtea definit de domino, cuius colonus propter vim maiorem aut potentiam alicuius fundo conducto frui non potuit, quem vult teneri ex locato. Sed his omnibus obſtat lex, quod ſępe. §. ſi res. D. de contr. empt. vbi ſubindicat Caius, ideo periculum pertinere ad emptorem qui alienam rem vendidit, quòd emptori nullas actiones cedere poſſit. Sed dicendum eſt id fieri per quãdam rationis conſequentiam, ideóque Caij verba eſſe reſtringenda. Ideò enim periculum ſpectat ad emptorem, quia rem alienam vẽdidit. Ex eo autem quòd rem alienam vendidit id efficitur vt nullas actiones trãsferre poſſit in emptorem: ſed non inde inferendum, vt ad eum perpetuò periculum ſpectet, qui nullas actiones habet quas trãsferat. Ad extremũ quid vetat, quin dicamus eum cuius fũdus publicatus eſt, actiones habere quas cedere poſſit? Sanè habebat eo tẽpore quo facta eſt venditio; & in eo iam diſſimilis à rei alienæ venditore. Dicam quoque eum habere adhuc actiones ſuas poſt publicationem. Inanes erunt? fateor: ſed non ita quin fortaſſe aliquid inde emolumenti ſperari poſſit, aliquod, inquam amiſſæ rei ſolatium: quin ſubſit etiam aliqua ſpes rei recuperan-

dæ aliquo caſu, vt caſu amiſſa eſt. Sed fac inanes eſſe prorſus: nónne etiam inanes ſæpè aliæ actiones quæ ceduntur, ad rem, puta, furto ablatam perſequendā, ſi fur ignoretur: ad ſeruum fugitiuum inſequendum ſi ita longè aufugerit, vt quò gentium ſit omnes lateat? Cum igitur illud diſertè expreſſum ſit, periculū rei venditæ nondū traditæ pertinere ad emptorē, hac tamen conditione vt actiones ſuas ſi quas habet, ei venditor cedat, vt expreſsè dicitur in dictis locis. Explodatur ea interpretatio qua periculum ad venditorem transfertur, ac conditione vt eo liberetur actiones ſuas cedendo, & qua is qui nullas actiones habet quas cedat, periculo ſubiicitur. Aut ſi verum ſit hoc poſtremum, Eum cuius fundus publicatus fuit, actiones habere dicamus, quas poſſit cedere & cedendo liberari.

## *An ſocietas vectigalium tranſeat ad heredes.*

### CAP. XIII.

QVæ hîc proponam, non ex otioſa quæſtione agitabo, ſed ex vſu natæ rei. Sæpè illud quęſitum in ſuprema ſubſidiorum curia huius prouinciæ Occitanę: An ſocietas vectigalium tranſeat ad heredes? denuoque tractatum non ita pridem, magna contentione patronorum & iudicum. Societas erat vectigalis ſalinarum, quam Titius inierat cū Męuio, quámque contraxerat ſibi & ſuis nominatim. Defuncto Titio, recuſabat Mę-

nius Titij heredem, ſocium ſibi adſciſcere, eò quòd ſocietatem morte diſſolutam, ad heredem non tranſire contenderet. Tota autem hæc contentio eò ſpectabat, vt heres lucri non modò percepti ante mortem ſocij, ſed etiam futuri particeps fieret, aut non fieret. Exiſtimabat heres tunc demnum, id lucrũ participare ſe poſſe, ſi in ſocietatem adſcitus fuiſſet: ſocius verò eo à ſocietate excluſo, integrum lucrum, vt etiam & damnũ à morte ſocij ad ſe ſolum ſpectare, ſibi perſuadebat. An rectè & ex præſcripto legum, nunc diſquirendum, ideoque tractandæ hæ duæ quęſtiones: Prima, An ſocietas vectigalium tranſeat ad heredes: Altera, An eo caſu quo non trãſit lucrum & damnum, poſt mortem ſocij vſque ad finitam negotiationem commune eſſe debeat inter ſocium ſuperſtitem & defuncti ſocij heredem. Cenſent interpretes ipſo iure ſocietatem vectigalium nõ tranſire ad heredem, quod certiſſimum: Ex pacto verò & conuentione appoſita tranſire, modò idonea ſit perſona heredis. Huius ſententiæ author eſt Accurſius, in l. adeo. D. pro ſoc. quem alij paſſim ſequuntur. Quod autem tria aut quatuor requirit in ſocietate vectigalium vt ad heredes deſcendat, non eſt quod quemquam turbet. Nam hęc quatuor, duo ſunt tantùm, nempe vt cautio fuerit interpoſita & vt heres idoneus ſit: Alia enim duo, nempe, vt ſint qui publica conducant vectigalia, & vt inter ſe paciſcantur, monitore non egent. Abſurdum eſt enim illud requirere, vt aliquis publica conducat vectigalia: priùs eſt enim vt cõduxerint, ad hoc vt valeát pacta in ſocietate interpoſita. Et quãdo coitur inter aliquos ſocietas, ſuperfluum eſt exigere, vt

pacta quæ interponuntur inter eos fiant, non autem cum locatore. Hîc enim ſunt duo contractus, alter cum locatore vectigalium, alter inter ſocios eorumdem vectigalium initus: quæ igitur pacta ad ſocietatem reſpiciunt, inter ſocios ineunda eſſe pluſquàm manifeſtum eſt: quemadmodum & ea quę ad conductionem cum ipſo locatore. Magnus ille Cujacius, Obſ. lib. 10. cap. 15. nouam induxit opinionem, dum négat ſocietatem vectigalium etiã ex pacto tranſire ad heredes, ſiue idoneos, ſiue non idoneos: ſi tamen heres ab ipſis ſocijs aſſumptus fuerit, hoc caſu continuari, modò tamen heres idoneus ſit. Quæ ſententia, vereor ne non omnibus placeat. Mihi ſanè non ſatisfacit. Inprimis etenim ex pacto ad heredem tranſmitti, euincunt illa Pomponij verba in l. Adeo. D. pro ſoc. *At in ſocietate vectigalium nihilominus manet ſocietas & poſt mortem alicuius, ſed ita demum ſi pars defuncti ad perſonam heredis eius adſcripta ſit, vt heredi quoque conferri oporteat.* Docuit antea Pōponi⁹, priuatam ſocietatē adeo diſſolui morte, vt nec ab initio paciſci poſſimus, vt heres ſuccedat in ſocietate: Ac deinde verba à nobis relata ſubijcit. Quod cùm ita ſit, & ipſe contrarium ſtatuere velit in ſocietate vectigalium, in eo quod de pacto addidit, neceſſe eſt illud dicamus, partem defuncti adſcriptam fuiſſet ad perſonam heredis pacto ab initio interpoſito. Et ſanè id clariùs exprimunt verba quæ ſequuntur, *vt heredi quoque conferri oporteat*, id eſt, vt neceſſe habeant ſocij heredem adſciſcere, eique defuncti partem adiudicare: niſi enim ita exaudiantur ea verba, quænam oro, erit differentia inter hanc vectigalium ſocietatem, & eam quæ ſit de

re priuata? Quamuis enim ſocietas priuata non trãſeat ad heredes, ne quidem ex pacto, ſi tamen heredem ſocium ſibi adſciuerint ſuperſtites ſocij, eis ipſe ſocius erit ſine dubio.l.nemo.& l. Planè.D.pro ſoc. ſimilis ergo ſocietas vectigalium priuatæ ſocietati. At diſſimilem hac in re eam Pomponius voluit eſſe, ſed omnem dubitandi materiam præripiunt verba quæ ſuperioribus iam à nobis relatis ſtatim connectuntur, *Quòd ipſum ex cauſa æſtimandum eſt, quid enim ſi is mortuus ſit, propter cuius operam maximè ſocietas coita ſit, aut ſine quo ſocietas adminiſtrari non poßit.* Ait ex cauſa æſtimandum eſſe, an portio defuncti heredi conferri debeat: ſiue an heres ad ſocietatem admittendus ſit: Quæro, ſi nullum interpoſitum fuit pactum de portione defuncti heredi conferenda, aut ſi interpoſitum non valeat, quid opus iſtiuſmodi æſtimatione? vult enim Pomponius id eſſe à iudice æſtimandum & perpendendum, non autem ab ipſis ſocijs. Id igitur vult Pomponius, in tota illa lege priuatam ſocietatem finiri morte, nec ex pacto continuari in heredem: ſocietatem vectigalium finiri morte, ex pacto tamen tranſire in heredem, niſi eo caſu quo heres non eſt idoneus, quod ipſum à iudice cauſa cognita æſtimãdum eſt. Huius interpretationis luminibus nihil officiunt ea quæ ab Vlpiano dicuntur in l. verum. §. in heredem.D. Pro ſoc. quinimò conueniunt potiùs. Ait inprimis heredem ſocij ſocium non eſſe, ne quidem in ſocietate vectigalium, niſi adſcitus fuerit: id eſt, niſi à ſuperſtitibus ſociis ad ſocietatem admiſſus fuerit. Vbi aduertendum, nullam fieri mentionem de pacto aut quæſtione, idcirco verba illa accipimus de aſſumptione

ptione voluntaria, non autem de neceſſaria. Porrò quamuis in ſocietate vectigalium mihi heres non ſit ſocius eo caſu quo non fuit adſcitus, eum tamen damni & emolumenti participem eſſe, etiam quod contigit mortuo iam ſocio, diſertè tradit Vlpianus. Quod tamen diuerſum eſſe ſtatuit in voluntaria ſocietate, id eſt, in ea quæ alicuius negotij iam cœpti & nondum finiti cauſa contracta fuit. Sed hęc ad ſecundam quęſtionem pertinent: redeo ad primã, in qua ſanè non video cur veterum interpretum ſẽtentia ſtare non poſſit, quæ vult ex pacto tranſmitti vectigalium ſocietatem in heredem idoneum. Quod autem dicim⁹, ſocios recuſare poſſe ne heres admittatur, ſi non fuerit idoneus, quamuis ab initio conuentum eſſet, vt ei pars defuncti conferatur, id ſanè mirum videri non debet, cum ex ea cauſa ſocietas iã inita inter aliquos diſſoluatur. l. ſi conuenerit. D. pro ſoc.

Quod autem diximus in ſpecie ſuperiùs à nobis propoſita ſocietatem à Titio contractam fuiſſe tam ſibi, quàm ſuis, quod ita Gallicè enuntiamus, *Pour luy & pour les ſiens*: Ibi quæſitum etiam fuit quænam perſonæ ſuorum nomine venirent, & an ſoli deſcendentes intelligi deberent, an etiam alij. Sed hanc quæſtionem Doctores noſtri decidunt, volúntque regulariter in huiuſmodi negotiis ſuorum appellatione etiam extraneos heredes deſignari ex qua regula quoſdam excipiunt caſus, quos vide apud Stephanum Ranchinum patrem meum, Deciſion. part. 1. Concluſ. 449. & part. 2. Concl. 242.

Sequitur iam altera quæſtio, an eo caſu quo ſocietas vectigalium non tranſit ad heredem omne dam-

num & lucrum etiam poſt mortem ſocij vſque ad finitam conductionem commune eſſe debeat? Et dicam ex æquo ad omnes pertinere, idque non tantùm in ſocietate vectigalium, ſed in alia qualibet eius negotii cauſa inſtituta, quòd ſtatim poſt mortem finiri terminarique nequeat. De ſocietate ſalinarum loquuntur Impp. Dioclet. & Maxim. in l.3.C. pro ſoc. ibique ſocietatis compendia ad heredem transferri volunt. Quia tamen non exprimunt an ea tantùm commoda tranſire debeant quæ ante defuncti mortem contigerunt, an etiam ea quæ poſtea: id nobis aliunde probandum eſt. Audiatur igitur Vlpian. in d.l. verum. §. in heredem. D. pro ſoc. *Quamuis*, inquit, *in ſocietate vectigalium, cæterorúmque heres ſocius non ſit, omne tamen emolumentum ſocietatis ad eum pertinet: ſimili modo, & damnum agnoſcit quod contingit, ſiue adhuc viuo ſocio vectigalis, ſiue poſtea.* Poſtrema illa verba omnem tollunt dubitationem & diſtinctionem illam diſſoluunt, aut ante mortem, aut poſt mortem. Addit Vlpianus in voluntaria ſocietate aliud obſeruari quibus verbis illud deſignat, neceſſariam cenſeri ſocietatem vectigalium, & ſimiles quæ fiunt in conductionibus publicis, quod ſanè verum. Ideo enim neceſſariæ dicuntur, quia ſæpiſſimè, nullo tractatu habito, ne inter ſe cōtēdant, etiam abſentes, cōducunt in commune, vt in l. vt in cōductionibus, iuncta l. ſuper. D. pro ſoc. facta autē conductione, ſocietatem poſtea ineunt. Porrò aliud ius obtinet in ea ſocietate voluntaria, quæ talis eſt, vt nulla in ea ſint negotia inchoata, quæ non ſtatim expediri poſſint: aliud verò in ea quæ ad aliquam negotiationem ineundam veluti ad rem aliquam

conducendam aut emendam inter aliquos fuit contracta, in qua mortuo vno ex ſociis, quamuis heres ſocius non ſit, omne tamen lucrum atque damnum participat, quodcumque tandem contingat vſque ad finem negotij: quod probo ex multis locis. In primis ex l. heres ſocij. D. pro ſoc. vbi ait Pompon. *Quamuis heres ſocij ſocius non ſit, tamen ea quæ per defunctum inchoata ſunt, per eum explicari debere*: quod ſanè durum eſſet, niſi lucri particeps eſſet huiuſmodi heres. Inanem enim operã impẽderet, ſibique inutilem. Sed haud opus argumentis: Non enim ſinit nos dubitare Paulus in l. Actione. §. ſi in rem. D. pro ſoc. vbi ait ex Labeone, *ſi in rem certam emendam conducendámve coita ſit ſocietas, tunc etiam poſt alicuius mortem quidquid lucri detrimentíve factum ſit, commune eſſe*, & in §. morte: eadem lege, *Quod ex re communi poſtea quæſitum eſt, item dolum & culpam in eo quod ex ante geſto pendet, tam ab herede quàm heredi præſtandum eſſe*. Nihil expreſſius dici poteſt, ideóque tãdem concludẽdum quandiu durabit id negotium, cuius gratia coita fuit ſocietas, tandiu & lucrum, & damnum inter ſocios ſuperſtites & defunctorum heredes eſſe in commune conferendum. Quod ſanè videtur voluiſſe idem Cuiacius eodem loco, & Accurtius in d. l. verum. §. in heredem, in verb. emolumentum. D. pro ſoc. Porrò quod de ſocietate diximus an tranſeat ad heredes, tãdem definitum fuit eiuſdem Subſidiorum Curię placito, & pro herede ſocij defuncti pronuntiatum, verè, & ex iuriſconſultorum mente, vt ego quidem arbitror.

## *De Denunciatione quadam explicata l. debitores, 10. C. pignor & hypoth.*

### CAP. XIIII.

IN lege, *Debitores*, 10. C. de pignorib. & hypothec. hæc controuertitur quæſtio, An creditor qui pignus perſequi inſtituit, ante debitori nuntiare debeat, vt pignus luat. i. ſoluat. Sunt qui Denunciationem neceſſariò non requiri exiſtiment, ſed tantùm ex honeſtate ſiue vrbanitate, vt ipſi loquuntur. Alij neceſſariò exigunt. Tertij, mediæ ſententiæ authores, debitori denuntiandum eſſe volunt, antequàm pignus diſtrahatur, poſtquàm hypothecaria actione actum eſt, non verò antequam agatur hypothecaria: quæ eſt ſententia D. Cujacij. Obſeruat. lib. 5. tit. 31. Sed remotis aliorum opinionibus & interpretationibus, res omnis ita explicanda eſt: Aut pignus fuit creditori traditum, aut obligatum tantùm, modò non traditum: ſi traditum, aut hoc pacto vt pecunia ad diem non ſoluta, ius ſit creditori illud diſtrahere, & hoc caſu exiſtente conditione pignus vendi poterit, omiſſa denuntiatione, l. 4. D. de pignorat. actio. & l. vlt. §. 1. C. de iur. dom. impetr. Aut verò ſimpliciter traditum fuit nulla vendendi aut non vendendi lege interpoſita, & tunc ſi dies ſolutioni appoſita fuerit, ceſſante debitore ſine vlla denuntiatione pignus iure diſtrahi poterit, cùm dies ipſum debitorem ſatis interpellare cenſeatur, l. magnam, C. de contra. & commit. ſtipul. atque ita accipio id quod dicitur in d. l. 4. D. de pignor. act. Sed etſi non conuenerit de diſtrahendo,

pignore, hoc tamen iure vtimur vt liceat diſtrahere, ſi modò non cõuenit ne liceat, idque ſine denuntiatione, vt ſequentia demonſtrãt, dummodò, inquam, ſolutioni dictus atque ſtatus ſit dies. Alioquin pũgnaret illa lex cum l. ſi quis pignori. D. de furt. quæ ait creditorem furti obligari, qui pignus vendidit, cùm de vendendo nihil conueniſſet, nec admittenda Accurtij diſtinctio inter ius vetus & nouum in d. l. 4. Legem ergo, *ſi quis*, ita accipiemus creditorem pignus vendentem, nulla lege dicta de eo vendendo, aut non vendendo furti obligari, ſi non fuerit ſolutioni dies appoſitus: Ac illud præterea adiiciendum, furti eum obligari, niſi ter denuntiauerit debitori vt ſoluat, vt patet ex hoc Pauli loco, ex lib. 2. recept. ſentent. tit. de pignorib. *Creditor ſi ſimpliciter pignus ſibi depoſitum diſtrahere velit, ter ante denuntiare debitori ſuo debet, vt pignus luat ne à ſe diſtrahatur*: trina denuntiatione hac in re ſemper opus eſt, quotieſcunque denuntiatio requiritur, vt dicitur etiam in d. l. 4. D. de pignor. act. Atque inde in hac lege *Denũtiationib⁹*, in plurali numero. Ac de pignore ſimpliciter tradito creditori, hoc non addito, vt liceat, vel non liceat diſtrahere, nec appoſitã die ſolutioni accipienda eſt lex *debitoribus*. C. de adminiſtr. tut. & lex vlt. §. 1. C. de iur. domin. impetr. Quod ſi illud nominatim cõuenerit, ne liceat creditori pignus diſtrahere, debitore non ſoluente, nihilominus id vendere poterit creditor, dummodò ter ante denuntiauerit debitori vt ſoluat, teſte Vlp. in d. l. 4. D. de pignor. act. Atque huc pertinet ille Pauli locus ex lib. 2. Recept. ſent. tit. de leg. commiſſ. *Si inter debitorem & creditorem conuenerit vt fiduciam ſibi vendere non liceat, non*

*ſoluente debitore, creditor denuntiare ei ſolemniter poteſt, & diſtrahere.* Fiduciam appellat pignus mancipatum creditori aut in iure ceſſum, ea lege, vt ſoluta ad diem pecunia remanciparetur, non ſoluta pleno iure acquiratur creditori: quod poſtremum aliquãdo non addebatur: ſed potiùs illud, vt ad diem pecunia non ſoluta, non liceret creditori pignus diſtrahere, vt patet ex d. loco. Et hæc de pignore tradito. Videamus iam quid in hypotheca dicendum ſit, & ſiquidẽ agat creditor actione perſonali ex contractu principali, nulla ei denuntiatione opus eſt. Remotæ enim ſunt hodie denuntiationes ex perſonæ lib. actionib. §. appellamus; Inſtit. tit. de actionib. Et putidum eſt quod ex aduerſo colligunt doctores noſtri ex l. quidam Hyberus, C. de ſeruit. vrb. præd. quorum ſententiam refutat F. Duarenus diſp. anniuerſ. lib. 2. cap. 28. Quod ſi hypothecaria, antè denuntiationibus debitorem interpellare debet, quàm hypothecam perſequatur. i. antequàm agat hypothecaria actione, nedum antequam pignus diſtrahat, vt perſpicuè dicitur, in d. l. Debitores. Atque ita etiam interpretor id quod dicitur, in l. pen. C. de pignor. act. quæ eſt eorumdem Impp. *Citra conuentionem res debitoris auferri non poſſe*, i. non poſſe creditorem pignus perſequi, priuſquàm debitorem denuntiationibus conuenerit, Putat D. Cuiacius ſatis eſſe creditori, ſi debitori denuntiauerit antequam pignus diſtrahat: ſed repugnant verba huius legis, atque etiam mens Impp. Deinde actio hypothecaria eſt initium executionis, nec aliam ob cauſam eam creditor inſtituit, niſi vt ad pignoris diſtractionem & proſcriptionem per-

uenire poſſit, eo ſemel capto atque ablato: vnde non mirũ ſi antequam inchoetur executio, denuntiationibus actio præparanda ſit. In pignore autem tradito non eſt opus, creditori actione hypothecaria, eò quòd pignus apud ſe habeat, & ideò requiritur tantùm, vt diſtractionem pignorum præcedat denuntiatio, quia à diſtractione inchoatur executio: quo fit vt ſemper illud verũ remaneat, denũtiationem executionem anteire debere. Sed vtvt illa ſe habeant iure ciuili, iure quidem Gallico illud certiſſimum eſt, vitioſam omnino eſſe eam executionem quam denuntiatio non præcedat, quam nos præceptum ſoluendi appellamus, *commandement de payer*: idque ſiue fiat executio ex cauſa iudicati, ſiue ex cauſa pignoris aut hypothecæ, quod conſtanter atque exactè omnino obſeruatur. Vulgo enim dicimus, nullam eſſe eam executionem, quam non præcedit ſoluendi præceptum, ſiue admonitio. De qua videndus Papon. tit. *des executions*, art. 23. quæ eſt regula certiſſima, à qua vnus tantùm excipitur caſus, nempe ſi ſolutio ſortis principalis certa atque ſtata die fieri debeat, i. *S'il y a terme certain de payer par les obligations, ou par les ſentences deuëment ſignifiées.* Conſtit. Franſciſci I. anno lata 1539. art. 75. Sufficit autem ſi facta fuerit huiuſmodi denunciatio in ædibus debitoris, ſiue in domicilio, vt patet ex cap. 74. eiuſdem conſtitutionis, & reprobata fuit conſuetudo Pictauiẽſis, qua denũtiatio perſonalis. i. facta ipſi debitori præſenti exigebatur Senatus Pariſienſis decreto, anno 1592. vt refert Ioann. Gallus in quæſt. 269. in editione Caroli Molinæi.

## *Ad legem vnicam*, §. 1. *D. ſi quis ius dicenti non obtemp.*

### CAP. XV.

SVnt in libris noſtris non modò verba, ſed etiam aliquando integræ clauſulæ loco pulſæ, vt & in quibuſuis alijs veteribus authoribus, quæ legentium animos mirum in modum conturbant ex quibus quædem hoc capite notabo. In l. vnic. §. 1. D. Si quis ius dicent. non obtẽp. Ita legitur in Pãdectis Piſanis: *Is videtur ius dicenti non obtemperaſſe, qui quod extremum in iuriſdictione eſt, non fecit. Veluti ſi quis rem mobilem vindicari à ſe paſſus non eſt, ſed duci eam vel ferri paſſus eſt: Cæterùm ſi & ſequentia recuſauit, tunc non obtemperaſſe videtur.* In elicienda horum verborum ſententia diu multumque ſudarunt Zazius, Alciatus, Baro, Duarenus, & alij, inani opera, quibus negotium dedit negatiua, *Non*, mutata loco, quam ex fine prioris clauſulæ ad initium retrotrahimus hoc modo: *Is non videtur ius dicenti non obtemperaſſe qui quod extremum in iuriſdictione eſt, fecit.* Et hoc ſenſu, Is non videtur ius dicentis imperium ſiue iuriſdictionem contemnere, qui facit quod extremũ eſt in iuriſdictione, quamuis non fecerit quod eſt primum. Subijcitur deinde exemplum, in quo, *pati à ſe rem mobilem vindicari*, dicitur primùm in iuriſdictione: *pati autem eandẽ rem à ſe duci, vel ferri*, dicitur extremum: Qui igitur patitur rem à ſe duci, videtur obtemperare ius dicenti, quamquam anteà recuſauerit eandem rem à ſe vindicari. At qui non modò quod primum eſt in iuriſdictione, ſed etiam

quod ſequens, ſiue quod extremum, is planè non obtemperaſſe cenſetur. Ita exaudienda hæc poſtrema verba (*Cæterum ſi & ſequentia*) ex quibus fortaſſe tollenda dictio *&*, vel pro, *& ſequentia*, legendum, *conſequentia*, vt hoc velit Vlpianus: Ceterùm ſi non recuſauerit quidem id quod primum, ſed tãtùm conſequentia, id eſt, id quod extremum in iuriſdictione, tunc cenſetur non optemperaſſe. Nam de eo qui vtrumque recuſat, inſipidum eſt quærere, an videatur non obtemperare iuriſdicentis imperio: ideóque veroſimilius eſt id quæri, vtrum is qui in vno obſequitur, in altero recuſat, cenſeatur non optemperare. Qui autem facit quod eſt poſtremum, is priorem culpam à ſe admiſſam purgare videtur: At qui fecit quod primum, recuſat autem deinde quod poſtremũ, priſtinã obedientiæ laudẽ amittit, hoc admiſſo ex ſententia Vlpiani. Hæc cùm ita ſcripſiſſem, caſu incidi in libros ſententiarum, & receptæ iuris ciuilis lectionis Ioannis Roberti Anteceſſoris Aurelianiaſis, vbi hanc lectionem ab eo fulciri & confirmari veterum codicum excuſorum auctoritate, quamuis repugnante Florentino exemplari, ſanè quàm gauiſus ſum. Integrã quoque clauſulam tranſpoſitam animaduertere licet. In l. vlt. D. De alienat. iudic. mul. cauſ. f. in qua ita legitur in omnibus exemplaribus, etiam in Florentino: *Si quis iudicij communi diuidundo euitandi cauſa rem alienauerit, ex lege Licinia ei interdicitur ne communi diuidundo iudicio experiatur. Verbi gratia, vt potentior emptor per licitationem vilius eam accipiat & per hoc iterum ipſe recipiat.* Conſtat quidem ſententia, ſed malè cohærentibus verbis, quæ ita in ordinem reduco;

*Si quis iudicij communi diuidundo euitandi cauſa rem alienauerit: verbi gratia, vt potentior emptor per licitationem viliùs eam accipiat, & per hoc iterum ipſe recipiat, ex lege Licinia ei interdicitur, ne communi diuidundo iudicio experiatur* Fortè ſi ſint alia quædam bona quæ diuidi debeant, quorum nomine agere velit, vel (vt vult Accurſius) ſi fructuum aut preſtationum nomine actionem inſtituere velit. l. per hoc §. 2. & 3. D. Commun. diuid. His duobus exemplis res tota clarior fit, nempe primo exemplo ſuis ſedibus reſtituto, & hoc poſtremo adſcititio. Licitatio autem, de qua mentio in hac lege, locum ſibi vendicat in hoc iudicio, Communi diuidundo, atque etiam in altero familiæ erciſcundæ. l. arbor. §. Iudex. D. Cõmuni diuid. l. Item Labeo, §. 1. D. famil. erciſ. Plurimum autem lucis accedit huic legi ex lege. 1. communi. diuid. vbi ait imp. Antoninus, Si frater ſolam portionem prædij ad ſe pertinentem diſtraxerit, venditionem reuocari non oportere, ſed neceſſe habere eum cum quo prędium erat commune, iudicio communi diuidundo cum emptore experiri, vt ea actione, aut vniuerſum prædium, ſi licitatione vincat, ex ſoluta ſocio parte pretij obtineat, aut pretij portionem, ſi meliorem alius conditionem obtulerit, conſequatur. Addenda autem exceptio ex hac lege, hæc nimirum. Si quis ideo alienauit partem ſuam, vt iudicium in potentiorem transferret, qui ſuperior in licitatione exiſteret. Hoc enim caſu non valebit alienatio, nec cogetur ſocius cum emptore agere, ex ſententia dictæ legis vltimæ, quamuis hic caſus in ea non exprimatur, ſed hi duo ſequentes: primus, vt venditor communi diuidundo

iudicio,aliarum rerum nomine agere nequeat ex lege Licinia, de qua prçter Marcianum ſilent reliqua antiquitatis monumenta. Alter, vt ipſi emptori denegetur quoque actio ex prçtoris edicto.

## *An ij qui ſunt ex numero iudicum poſtulare poſſint.*

### CAP. XVI.

QVi ſunt ex numero iudicum, (ait magnus ille doctor,in Paratit. Cod. tit. de poſtul) poſtulare non poſſunt. Quos tamen olim non fuiſſe prohibitos conſtat ex 3. epiſtolarum Plinij. At vereor, docte Cuiaci, ne tuum te iudicium fallat.Nulla enim hac in re differentia inter ius vetus & ius nouum. Iure veteri qui poſtulabant, ijdẽ iudicis officio fungi poterant, vt patet ex Plinij ep. 4.& 9. lib. 3. Idem quoque obtinere dicamus nouo iure. Nam id tantùm vetat Impp. Valent. & Val. Ne quis in vno eodémque negotio aduocatus ſit & iudex: vt perſpicuum ſit ex principio legis ſextæ. C. de poſtul. vnde explicari debent verba quæ deinde in extrema illius legis parte ſubiiciũtur,quç te in errorem traxerũt, dum vitas,ne diuerſa in eodẽ capite referantur.Si enim à poſtulatione in vniuerſum abſtinere debeant iudices, ex fine illius legis: abſurdè fuit illud initio ſancitum; ne in eodem negotio quis ſit aduocatus & iudex. Verba igitur quæ in fine ponuntur, iuxta principium & exaudienda & reſtringenda ſunt: præſertim cùm tota ſententia ſumpta ſit ex l.2.C.Th. eod. Vbi Impp. Valent.& Valens ſic

loquuntur: *Quiſquis vult eſſe cauſidicus, ipſam ſolam ſirmat in cauſis agendis perſonam: nec idem in eodem negotio defenſor ſit & quæſitor, quoniam aliquem inter arbitros & patronos oportet eſſe delectũ.* Ex quibus verbis quædam in principio, quædam in fine dictæ legis ſextæ referuntur. Vnde veriſimile fit, eandem ſententiam repeti in extrema legis parte, quæ in prima propoſita fuerit. Atque illud animaduertendum, dicta poſteriora verba non eſſe otioſa, ſed propriè ad honoratos referri, de quibus paulò antea locutus fuerat Tribonianus in eadem lege. Honorati, id eſt, principales in ciuitate aut prouincia viri, qui officiis, muneribus & dignitatibus functi erant, quamuis non eſſent iudices, ius tamen inter iudices ſedendi atque iudicandi habebant. l. pen. C. de offic. diuerſ. iudic. Qui tamen ex ijs propriam litem habebant, ij eo tẽpore quo de ijs iudicium reddebatur, reſidendi cum iudicibus non habebant facultatem. l. 1. C. de offic. ciuil. iudic. Et quoniam iis volentibus etiam cauſas orare licebat, vbi cauſidici perſonam elegerant, non poterant cauſa ſemel perorata inter iudices locum ſibi vindicare in eadem cauſa diiudicanda, vt aiunt ijdem Impp. Valent. & Valens in d. l. 6. C. de poſtul. vel potiùs ipſemet Tribonianus, qui ſæpè anterioribus Imperatoribus ſua ſomnia affingit, non ſine crimine falſi. Non tamen ideò minùs eis permittitur in cæteris cauſis iudicare, neque enim id voluit Tribonianus, quamuis ſatis ambiguè hac de re locutus, Latinæ linguæ vitio potiùs, quàm animi deliquio, vt ego quidem cenſeo. Vt autem noua cum veteribus componantur, & ius Gallicum cum Romano: idem cautum fuiſſe comperio Principum noſtrorum Cõ-

ſtitutionibus, quibus nemo in eadem cauſa aduocatus & iudex eſſe poteſt, neque etiam conſultor & iudex. At in cæteris cauſis iudices eſſe poſſunt ij qui ordinario aduocatorum munere funguntur. Qua de re duæ extant inſignes conſtitutiones. Prima Philippi VI. lata anno 1344. cujus propria verba ſubijcio: *Ordinamus omnibus Seneſchallis, Balliuis, & aliis iudicibus noſtris, ne aduocatis ſeu conſiliariis ſuper cauſis, in quibus conſilium ſeu patrocinium præſtiterint, quoquo modo in dicta cauſa permittant iudicare, nec in aliis niſi primitus eos iurare faciant, quòd in eis cauſis conſilium, ſeu patrocinium numquam præſtiterunt. Si autem contrarium feciſſe reperiantur, tam iudices quàm ipſos aduocatos grauiter & tanquam periuros puniemus.* Altera Magni illius Franciſci lata anno 1535. cap. 12. art. 10. *Ordonnons, que quand les Iuges voudront appeller quelques Aduocats pour Conſeillers, auant que ce faire & leur declarer le ſecret, les feront iurer qu'ils n'ont eſté Aduocats, & n'ont patrociné ne conſulté en l'affaire dont il ſera queſtion.* Quæ omnia vti conſtituta ſunt, ita ſeruantur ſtrictè, religiosè. Niſi quod in maioribus ſubſelliis, & ſupremis curiis inopia iudicum non admittuntur Cauſidici, ne hac re quodammodo minui videatur eorum dignitas atque ſplendor, quaſi id non ſit ſatis è dignitate earum, ſed vocantur eorum loco iudices ex inferioribus curiis, aut etiam legum profeſſores.

## *An mobilibus legatis vel donatio nomina legata cenſeantur.*

### CAP. XVII.

QVoniam varij ita varia de hac quæſtione ſcripſerunt, vt vix ſatis appareat quid verum ſit, quídve ſequendum hodie in iudicando: libuit de ea nunc aliquid admonere. Certum inprimis illud eſſe affirmo, mobilibus legatis, nomina legato non contineri. Idque ſic euinco: Argento omni legato quod ſuum eſſet, id argentum quod in nominibus eſt, non cenſetur legatum. Marcus Tullius in Topic. *Non ſi vxori vir legauit omne argentum quod ſuum eſſet: Idcirco quæ in nominibus fuerunt, legata ſunt. Multùm enim differt, in arca poſitum ſit argentũ, an in tabulis debeatur.* Vlp. in l. Quintus Mutius, 27. §. argento. D. de aur. & arg. leg. *Argento omni legato quod ſuum eſſet, ſine dubio non debetur id quod in nominibus eſſet, hoc ideo, quia non videtur ſuum eſſe, quod vindicari non poßit.* Idem dicit Pōpō. de auro legato in l. ſcribit Quintus Sulpitius, D. de aur. & arg. l. vbi ſanè ſatis rigidè ac ſeuerè agere videtur iuriſconſulti, dum ſui argenti nomine non illud intelligunt quod teſtatori debetur. Specioſa quidem eſt ratio quam adferunt Iuriſconſulti, vt ideo non cótineatur legato, quia vindicari non poteſt, imò vt ego adiicio, & quia periculum eſt ne vnquam redeat. Scitum enim illud Comici in Trinummo, *Si quis mutuum quid dederit, fit pro proprio perditum:* & in Pſeudolo, *Qui ſuum repetunt, ab alienis cautiores fiunt ne credant alteri.* Vnde etiam vulgatum illud & im-

proprium mutui etymon, *Mutuum dicitur quòd de meo fiat tuum.* Sed videndum ne iſtiuſmodi rationes vim inferant teſtatoris menti ac voluntati, quam ſanè in iſtiuſmodi quæſtione curioſiùs perſcrutandam & inquirendam cenſeo ab ijs quibus datum ius & arbitriũ iudicandi. Vt autem ad propoſitam quęſtionem reuertamus: Si legato argento ſuo, id argentũ quod debetur teſtatori, non veniat legati nomine, neque etiam veniet eo caſu quo mobilia legata fuerunt. Sed ego ineptus, qui argumenta & rationes quæro, vbi expreſſa extant hac de re Iuriſconſultorum verba. Paulus enim lib. 3. Sent. Tit. de legat. 6. *Mobilibus legatis aurum vel argentum non debetur, niſi de eis quoque manifeſtè ſenſiſſe teſtatorem poſſit oſtendi.* Et Harmenopulus lib. 5. Prompt. Tit. 10. *Mobilibus legatis aurum vel argentum non continetur, ſed horum ſpecialiter fit mentio. Ex legibus enim præſumitur teſtator, quibuſcunque mobilibus memoratis, non generaliter pretioſiora quæque, ſed ſpecialiter memoraturus fuiſſe.* Non ſunt hæc, fateor, ex libris noſtris: ſed quid vetat, hos veteres iuris authores, in re obſcura & ambigua interpretum vice fungi? præſertim cùm nihil ſit in iure noſtro, quod ijs obijci poſſit. Tantum ergo abeſt, vt nomina debitorum contineantur donatione, aut legato mobilium rerum, vt ne pecunia quidem quæ eſt in loculis atque in arca, eo legato veniat. Etiam eo caſu, quo teſtator ea mobilia legat quæ ſunt in arca, niſi præſidij cauſa ibi repoſita fuerit, vt dicitur in l. ſi chorus, §. 1. D. de legat 3. Legata quoque ſupellectile, non debentur ea quæ ſunt in auro & argento, niſi id quoque teſtatorem ſenſiſſe legatarius probet, ait Modeſt. in

l.cũ quidã.D.de ſupell.legat. Omitto vulgatũ illud, mobiliũ & immobiliũ appellatione nomina nõ contineri, ſed tertium bonorum genus conſtituere ex l. quam Tuberonis, §. in peculio. D. de pecul. & alia quædam quæ nonnulli ex noſtris Interpretibus in hanc rem afferre ſolent. Quæ cum ita ſint, quis non miretur contrarium deciſum fuiſſe ſupremæ Pariſienſis curiæ placito? Id enim teſtantur duo illi inſignes Gallici Pragmatici, Imbertus nimirum lib. 1. Inſt. forenſ. & Papon. De Gallicis Senatuſconſultis, lib. 17. tit. 4. cap. 4. Qui tamẽ in eo diſſentiũt: quòd hic ſpecialem iſtiuſmodi placito rationem aſſignat: conſuetudinem, videlicet cuiuſdam loci qua cauebatur, vt mobilium appellatione nomina continerentur, quam ſenatum ſubſecutũ fuiſſe ait. Alter verò id negat, atque etiam pernegat. Nos in hac cõtrouerſia Paponium audiamus potiùs, & ſenatũ ſtatuti ſiue conſuetudinis rationem habuiſſe dicamus, vt maneat illibatum ius illud commune tam clarum ac perſpicuum. Præſertim cùm idem aliâs obſeruatum fuiſſe in ſupremo Senatu Gratianopolitano nõ obſcurè ſignificet Guido Papius in Deciſionibus quæſt. 291. & 499.

Interpretes tamen noſtri, atque etiã Pragmatici id à nobis inuitis extorquent, vt mobilium legato, aut donatione contineantur nomina, quæ ob pecuniam mutuò datã aut res mobiles creata fuerunt. Id enim cenſet Imbertus d. lib. Inſt. atq; etiã alij multi, quos citat Tiraquellus & quib⁹ ipſe ſubſcribit in tract. de retract. §. 1. gloſ. 7. nu. 1. & ſeqq. à quo ij quib⁹ iſthæc non facient ſatis, haurire poterunt plenis ſitulis.

## *Breuis & methodica interpretatio ad titulum Digeſtorum, de condictione ob turpem vel iniuſtam cauſam.*

### CAP. XVIII.

QVædam in hoc tractatu obſeruaui non omnibus nota: quædam ab alijs perperam intellecta, quæ fortè ſatiùs fuiſſet nuda & ſola proponere, aut quaſi ſigno aliquo indigetare, ijs omiſſis quæ per ſe clara, quæque noſtra non indigent opera. Sed quia huc illuc ſparſa & quaſi diſſeminata erãt, nemo vt ſpero, indignabitur, ſi quo modo quoque ordine aliquot abhinc ãnis in publicis ſcholis à nobis expoſita ſunt, eodẽ nũc in his chartis proponãtur. Cõdictio ob turpẽ cauſam in multis ſimilis eſt cõdictioni ob cauſam datorũ, de quã in ſuperiori titulo: vtraquẽ propriè appellatur condictio ob rem, impropriè cõdictio ob cauſam l. 1. & vlt. h. t. in vtraque cauſa ſignificat cauſam futuram & finalem, in vtraque res data repetitur, & veniunt in vtramque fructus & & acceſſiones, non tamen vſuræ l. 4. h. t. Datur prætererea vtraque ex diuerſis cauſis & negotijs ſiue obligationibus. Sed in eo inter ſe differunt, quòd ſuperior competit ob cauſam honeſtam, hæc verò ob inhoneſtam, illa cauſa non ſequuta, hæc cauſa demũ ſecuta, l. 1. h. t. Diuerſa ab his eſt condictio ob iniuſtam cauſam, de qua tractatur quoque in hoc titulo, vt inſcriptio indicat, & de qua loquuntur lex ſexta & ſeptima: hæc enim competit ob cauſam præteritam & efficientem vt ſi res extorta fuerit vi, metũ, aut dolo malo. In Codice Iuſtiniani proponitur ſub

titulo De condictione ex lege, ſine cauſa vel iniuſta cauſa, in quo de tribus condictionum generibus ſimul agitur. Et nullam tamen ſub eo exſtare conſtitutionem de hac condictione ex iniuſta cauſa, vult D. Cuiac. quod non probo. Quid enim vetat legem penult. eiuſdem tit. de hac condictione accipere? vt nimirum fructus à malæ fidei poſſeſſore conſumpti condicantur, quaſi conſumpti ex iniuſta cauſa, & ab iniuſto poſſeſſore, vt in caſu legis 4. C. de crimin. expil. hered. quamuis non negem vbi datur condidictio ex iniuſta cauſa, ibi & condictionem ſine cauſa dari poſſe. Sed ad cõdictionem ob turpem cauſam redeamus, in qua illud ſtatim ſciendum, eam tunc demũ competere, quando ſolius accipientis turpitudo verſatur. d.l.1.h.t.l. 2.4.C.eod. Non quando ſoli⁹ dantis, non etiam quando vtriuſque: dantis ſcilicet & accipientis: tunc enim poſſidentis melior ſemper cõditio exiſtit. Has ergo duas regulas ponamus perpetuò veras. Condictio ob turpem cauſam locum habet quotieſcunque ſolius accipientis turpido verſatur, l. 1. & 4. h.t.l. 4. 6. 7. C. eod. Condictioni ob turpem cauſam locus non eſt, vbi aut ſolius dantis, aut dantis, & accipientis turpitudo exiſtit. 2. 3. & 8. h.t.l. 2. & 5. C. eod. Nunc exempla quibus hæ regulæ illuſtrantur, recenſeamus, ac primùm ea in quib⁹ ſolius accipientis exiſtit turpitudo quæ, ſunt eiuſmodi: Si dederim tibi pecuniam ne ſacrilegium facias, ne hominem occidas, ne furtum facias, l. 2. hoc titu. aut etiam ne mihi iniuriam inferas, l. 4. in pr. Ab his omnibus cùm naturâ turpia ſint, debet quiſque abſtinere virtutis amore, & honeſtatis gratiâ, non præmij, pretiique illicio: Qui igitur ob

huiuſmodi cauſas pecuniam accipit, turpiter facit: At qui dat, turpiter non facit, quia pecunia ſua auertit aut inhibet maleficium. Sed longè diuerſum eſt ſi dederim pecuniam, vt furtum, ſacrilegium, iniuriã, homicidium, aut aliud quid eiuſmodi facias, tunc enim exiſtit turpitudo ex vtraque parte ob eámque cauſam non eſt repetitio. Eſt quoque turpis cauſa ſolius accipientis, ſi accipias pecuniam vt res furto, vi, aut rapina extortas mihi reſtituas, l. vlt. & penu. C. eod. aut ſi fur indiciũ accipiat. i. pecuniã ꝓ indicio, ad res inquã à ſe raptas indicandas, l. 4. in fi. h. t. C. (Aliud tamẽ dicendũ, ſi non ipſe fur, ſed quilibet alius ob indicationem furti, vel ſerui furis, aut fugitiui pecuniã acceperit, d. l. 4. h. t. & l. 15. D. de præſc. verb.) Item ſi quis pecuniam accipiat, vt reſtituat rẽ apud ſe depoſitam, commodatam, locatam ſibi, vel ex mandati cauſa traditam, aut etiam à ſe venditam, l. 2. & vlt. h. t. connumerandum quoque exemplum quod extat in l. 3. C. h. tit. *de eo qui pecuniam dedit euitandi tyrocinij cauſa:* quem non turpiter dare aiunt Impp. Dioclet. & Maxim. in d. l. 3. ſed eum cui datur turpiter accipere, ob eámque cauſam & datam reſtituere, & præterea concuſſionis crimine teneri. Quod non eſt accipiendum de eo qui pecuniam dedit militiæ ſubterfugiendæ gratiâ, is enim & turpiter omnino facit, & grauiſſimis, pœnis coercetur, etiam ex iure noſtro, l. qui cum vno, §. qui poſt. D. de re milit, & l. ſi is cum. D. comm. diuid. Non etiam de eo qui dedit pecuniam, vt ante impletos tyrocinij labores imperitus adhuc in militum ordines promoueatur, vt ſtipendia mereat: hunc enim turpiter facere, nemo non videt; quamuis hæc verba dictæ l.

3. *euitandi tyrocinij cauſa*, eum deſignare videantur: ſed potiùs de eo qui poſt ſuſceptos & exhauſtos tyrocinij labores, de quibus Vegetius lib. 1. de re militari, perit⁹ factus & dignus exiſtens nomine militis, pecuniam dare coactus fuit vt ad militares ordines promoueretur. Idque ſatis indicat verbum concuſſionis: non enim eſſe poteſt concuſſio, niſi eo caſu quo pecunia ab inuito iniuſtè extorquetur. Iam de eo dicamus qui turpiter dat, de quo vnicum tantùm reperio exemplum in iure noſtro, quando videlicet quis mercedulam meretrici dat, is enim cenſetur turpiter dare, & ideo non habet repetitionem. At ſcortum non cenſetur turpiter accipere, quamuis turpiter faciat quòd ſit meretrix, l. 4. h. t. Sed aliud dicendum, ſi maritus lenocinij causâ pecuniam acceperit pro mulieris adulterio, is enim turpiter facit, dum lenociniū exercet, quod leges prohibent, ſcortationem verò tolerant: & turpiter etiam accipit, non tamen cōpetit aduerſus eum repetitio ſi acceperit, eò quòd melior ſit cauſa poſſidentis, l. mercalē, C. eod. Et legem 2. C. eod. accipit Accurt. non de meretrice, ſed de muliere ſtuprum paſſa, acceptâ pecuniâ, quam turpiter accepiſſe refert Imp. Anton. dum ait in pari cauſa turpitudinis, poſſeſſoris meliorem eſſe conditionem: ídque verum arbitror, & coniungenda illa lex cum principio legis 4. D. eod. ſed dum loquimur de turpitudine ſolius dantis, tria propoſuimus exempla, in quibus verſatur vtriuſque turpitudo. Nūc cætera annectamus, in quibus idem ius eſſe dicimus, atque in ijs, quibus ſolius dantis turpis cauſa exiſtit: nam neque in his, neque in illis locus eſt cōdictioni ob turpē cauſam. Quartum igi-

tur ſit de eo qui iudici pecuniam dedit ad iudicandũ, l.2.& 3. C eod. Dico ſimpliciter ad indicandum, nec diſtingo an ad bene, an verò ad malè iudicandum, & an àb eo qui fouet iuſtam cauſam, an verò ab eo qui iniuſtam. Semper enim turpiter & dari & accipi exiſtimo ex ea cauſa, ob ídque non eſſe cõdictioni locum: quamuis ſint qui aliud cenſeant de eo qui pecuniam dedit iudici, vt ſecundùm eum in bona cauſa iudicaret. Sed falſò. Vlpian. enim ſatis apertè indicat fuiſſe olim Iuriſconſultos qui id ſentirent: id enim ſignificat verbum *relatum*, vt in l. in cauſæ, 16. in princ. D. de minor. quæ eſt eiuſdem Vlpiani. Sed hodie aliud obtinere ob Antonini conſtitutionem, quẽ intelligit nomine Imp. noſtri, quæ quidem conſtitutio generaliter, & indiſtinctè prohibet pecuniam dari ob futurum iudiciũ, eúmque qui dederit, mulctat litis damno, de qua rurſus loquitur Vlp. in l. 1. D. de calumniat. eáque exſtat in l. 1. C. de pœnis Iud. qui mal. iudic. cuius inſcriptio emendanda iuxta dictam 1. tit. de calumniat. vt quidam monent. Cùm igitur crimen contrahat, & litem perdat, vt nominatim ait Vlpian. qua fronte dici poteſt, eum non turpiter dare? aut cur coercetur huiuſmodi pecuniæ datio, ſi nihil in ea turpitudinis? quid abſurdius, quàm id admittere, crimen ſine turpitudine eſſe poſſe? Miror virum doctum huic tam inſipidæ opinioni ſubſcribere, quam præterea falſam arguit ſeries legis 4. cuius principium iungendum cum extremo legis 2. vt vtriuſque inſcriptio indicat. Tribonianus enim more ſuo centonem ex Pauli libris, verbis Vlpiani interpoſuit. Quemadmodum ergo in tribus exemplis quæ proponuntur in prin. d. l. 4. non com-

petit repetitio, nempe ſi quis vt virginem conſtupraret, pecuniam dederit: aut vt ſe redimeret in adulterio deprehenſus: aut fur ne proderetur, quia verſatur & dantis & accipientis turpitudo: ſic etiam quādo quis iudici dat pecuniam, vt pro ſe in bona cauſa iudicet: nā id indicāt hęc prima verba dictæ l. 4. *Idem ſi ob ſtuprum.* Nam idem dicendum in hoc caſu, ac diximus in ſuperiori. Sed hîc nunc tractanda illa quæſtio. Cùm non poſſit repetere is qui dedit eo caſu, quo vtriuſque turpitudo verſatur, an dicemus rem datam fieri eius qui accepit? Et ſanè iniquum eſt vt quis lucrum ferat ex ſua turpitudine. Nam ob eam rationem donatio propter nuptias facta in matrimonio legibus prohibito, donatori erepta in fiſcum cogitur l. cùm hic ſtatus. §. vlt. D. de donat. inter vir, & vxor. Et de iudice quidem qui pecuniam accepit, vt gratioſam ſententiam ferret, id nominatim dicitur in l. in heredem. D. de calumniat. *Hoc lucrum, eius heredi extorquendum eſſe, & ſi quid aliud ſcelere quæſitum,* ídque actione prætoria ex edicto De calumniatoribus: imò & competere præterea condictionē ob turpem cauſam, ſi ſolius accipientis turpitudo verſetur, nō verò ſi vtriuſque, vt ſubijcit Vlpian. in d. l. *in heredem*, quod non ita accipiendum, quaſi reſtringat ea quæ ſuperiùs dicta ſunt de lucro ſcelere quæſito auferendo: vbi enim vtriuſque turpitudo verſatur, non competit quidem cōdictio ob turpem cauſam, ſed fit ſæpe vt detur alia actio ad hoc lucrū poſſidenti auferendum: vt in hoc caſu non competit quidem condictio aduerſus iudicem, illiúſque heredes, ſed competit actio in factum ex edicto prætoris de calumniatoribus. Aduerſus eum quoque qui ali-

quid accepit ab eo quem in furto, adulterio, alióve eiuſmodi ſcelere deprehẽdit, nõ cõpetit cõdictio ob turpẽ cauſam, l. 4. h. tit. Datur tamẽ actio ad eã pecuniã ei auferandã ex edicto prætoris, *quod vi metúſve cauſa*. l. 2. D. quod met. cauſ. Puto igitur id veriſſimè dici poſſe, huiuſmodi pecuniam vel aliam rem turpiter acceptam accipienti auferendam eſſe, idque præterea colligitur ex l. 1. 3. & 4. D. de calumn. quæ de eo loquuntur qui pecuniã aut quid aliud accepit, vt calumniæ cauſa negotiũ alicui faceret: verbi gratia, vt falſum teſtimonium diceret, vel vt falſam accuſationem in aliquem inſtitueret, vt iudex falſam, ſiue iniquam ſententiam ferret, in quibus omnibus exemplis vtriuſque turpitudo verſatur, & tamen datur actio prætoria in accipientem ad pecuniam repetendam, atque etiam pœnam intra annum, quamuis condictio ob turpem cauſam non poſſit dari. Quod ſi pecuniam quis acceperit, ne quid horum faceret, veluti ne falſum teſtimonium ferret: tunc quia ſolius accipientis turpitudo verſatur, erit in arbitrio dantis pecuniam à ſe datam repetere, aut actione ex edicto de calumniat. aut condictione ob turpem cauſam. Atque ita exaudienda eſt lex 4. de calumniat. Tertiũ argumentũ ſuggerit lex 7 & 8. D. quod met. cauſ. vbi is qui aliquid dedit, in furto, adulterio aut alio eiuſmodi flagitio deprehenſus, vt ſe redimeret, (qua de re exẽplũ habes de ſaluſtio apud Gelliũ lib. 17. cap. 18.) id poteſt repetere actione prætoria, quæ datur ex edicto, quod met. cauſ. quãuis nõ poſſit per cõdictionẽ ob turpem cauſam, vt patet ex l. 4. h. tit. Vnde duo colligimus: primum, datum ob turpem cauſam, ab accipiente extorqueri: ſecundum, non

eſſe nouum, vt quod vna via nobis auferri nequit, altera extorqueatur. Nunc quæro cui applicari debeat hoc turpe lucrum: & dicam aliquando aduerſario, vt ſi data ſit iudici pecunia, quò iniquam ſententiam ferret, argumento legis 3. D. de calumniat. Nõnunquam ei qui dedit qui alia via datum conſequitur, vt in caſu dictæ l. 7. D. quod met. cauſ. Quod ſi non inueniatur perſona, cui ex æquitate, aut iuſta aliqua de cauſa applicari debeat, dicam in fiſcũ cogi huiuſmodi lucrum, argumento dictæ l. cùm hic ſtatus. §. vlt. D. de donationibus, inter vir. & vxor. Subijcio aliam quæſtionem huic affinem. Vbi verſatur aut ſolius dantis, aut vtriuſque turpitudo, ſi ſolùm promiſſa ſit pecunia: non verò data an exigi poſſit? Et nulla dubitatio vbi exiſtit turpitudo ex vtraque parte, ídque ob eam regulam quæ dictat, vbi par turpitudo vtrinque exiſtit, poſſidentis meliorem eſſe conditionem, l. 8. h. tit. l. 2. C. eod. d. l. in hęredem; D. de calumniat. Melior ergo erit conditio promiſſoris re non tradita, ídque nominatim traditur de pecunia ob adulterium marito lenoni promiſſa, in d. l. mercalem C. eod. Et hac de re extat quoque exemplum, in l. 1. C. eod. ſub obſcurum tamen, ſed ita detegendum. Promiſerat Ingenuus pecuniam, Titio ſi in Sempronium malum carmen condidiſſet, cautio hac de re confecta. i. ſyngrapha, aut inſtrumentum in quo id ſimulatè perſcriptum: *Dediſſe Titium Ingenuo pecuniam mutuam: eandem ſtipulatum eam ſibi reddi Calend. Ianuar.* Cùm peteret Titius eam pecuniam quaſi ex mutui cauſa debitam ſibi, narrauit Ingenuus Imp. Antonino per libellum rem omnem vt fuerat acta, re-

ſcribit Antoninus eum probare debere nullam pecuniam ſe accepiſſe, mutuam puta, ſed ob turpem rem, & quam fieri prohibitum eſt, interpoſitam fuiſſe huiuſmodi cautionem, vt abſolutio ſequatur: Atque hæc eſt illius legis ſpecies. Quid autem ſi ſolius dantis? Variant hac in re doctores, maximè verò dum loquuntur, de pecunia ſcorto promiſſa ob mercedulam: quam aiunt multi iure peti poſſe, cùm valeat donatio meretrici facta, l. affectionis D. de donat. ſed id quidam ita ſoluunt. Rem quidem datam meretrici, ei auferri non poſſe, ob rem verò danationis cauſâ promiſſam exactionem ei non competere. Verius fortaſſe illud erit, nos loqui de mercedula meretrici promiſſa ob vecturam, & propter concubitum, illam legem loqui de donatione ſimplici, quam non vitiat meretricis perſona. Pecuniam porrò promiſſam ex cauſa turpi, quando, inquam, ſolius promiſſoris exiſtit turpitudo, exigi non poſſe expreſſé tradit Paulus, in l. penult. huius tit. Aut ſi exigatur exceptione doli mali, vel in factum ſubmoueri petitorem, quamuis ſi ſoluta fuerit, non poſſit repeti, quod idem obtinere ait, quando dantis & accipientis turpitudo verſatur. Ad extremum id tractemus, an ſtipulatio aut alia eiuſmodi cautio ſiue obligatio, qua ob turpem cauſam promiſſa fuit pecunia, ipſo iure nulla exiſtat, an verò ex ea, actio dari poſſit, ad quam eneruandam exceptione opus ſit? Et non valere, ob eámque cauſam nō dari actionem ex ea, probat lex 5. C. h. t. & l. 26. cum ſeq. D. de verb. oblig. At contrà dari exceptionem de dolo vel in factum, diſertè traditur in l. pen. huius tit. Vnde conſequens

eſt, vt valeat obligatio ipſo iure, vtque actio ex ea competat cùm ad eam elidendam exceptione opus ſit. Rixantur interpretes in hac legũ varietate, quorum ſententias haud enumero, eam tantùm adfero, quam probo. Dicendum enim ſi conſtet de turpitudine, prætorem actionem quidem denegare, quod ſi de ea non conſtet, nec vlla ſuſpicio ſit, eum concedere quidem actionem, ſed eius iniquitatem corrigere adiuncta exceptione. *Niſi contra bonos mores ſtipulatio inita ſit*, vel etiam non adiuncta quidem exceptione, ſed poſtea data reo facultate doli exceptionem, aut aliam eiuſmodi opponẽdi, ad concondictionem elidendam. Aliam affert D. Cujac. in l. *26*. D. de verb. oblig. aliam Duarenus in h. t. alij quoque alias: ſed hæc verior, meo iudicio, quam ſequitur Hotom. Cuius confirmandæ gratia videnda lex 1. §. Senatuſconſulto. 2. D. de his quæ in teſtamento debent.

## *An mulier in hypobolo hypothecam habeat à tempore contractus, an à tempore mortis mariti.*

### CAP. XIX.

MIrum ſilentium de hac quæſtione inter noſtros interpretes, tam veteres quàm nouos. Fuit autem non ita pridem in hac Monſpelienſi vrbe agitata apud eos qui iuriſdictioni præſunt, à nobis quoque in publicis ſcholis pertractata, de qua quæ in vtramque partem dici poſſunt, his chartis conſignabo: Habet mulier tacitam hypothecam

pro ea parte donationis propter nuptias quam lucratur præmoriente viro, quam Harmenopulus, *Hypobolon*, noſtri hodiè, *augmentum dotis* appellant. Donatio quidem propter nuptias non eſt hodie ampliùs in vſu, ſed quemadmodum olim interponebantur mutua pacta de lucranda parte dotis & donationis propter nuptias, alterutro ex coniugibus præmoriente: ſic hodie fiunt mutuæ donationes in caſum mortis inter eos qui ſeſe matrimonio iungunt, quæ vulgò communi vocabulo appellantur, *Donations en cas de predecez*: ea verò quæ fit mulieri à viro, ſpecialiter etiam dicitur, *augmentum dotis*, quãuis in iure noſtro augmentum dotis nihil aliud ſit quàm ea dotis pars, quæ doti iam conſtitutæ additur conſtante matrimonio. Sed ad rem: habet, inquam, mulier tacitam hypothecam huius donationis ſiue lucri nomine, at non priuilegiariam. Et in hoc differentia conſtituitur inter dotem & hanc ipſam donationem. In dote mulier duplex habet priuilegium tacitæ hypothecæ & prælationis: in donatione propter nuptias, ſine augmento dotis, habet quidem priuilegium tacitæ hypothecæ, ſed non priuilegium temporis. Et ratio eſt perſpicua, quia in dote contendit mulier de damno vitãdo in augmento de lucro captando, quam aſſignat Iuſtinianus in l. aſſiduis. §. hæc autem. C. qui potior. in pign. habeant.

Hîc autem quæritur à quo tempore habeat mulier huiuſmodi hypothecam, vtrum ab eo quo huiuſmodi donatio facta fuit, an verò à morte mariti? Et moriente demũ marito, naſci hypothecam quis tueri poteri his rationibus? Primò, Quòd Iuſtinianus non faueat mulieribus in lucro, ſed tantùm in

damno, vt iam dictum, vnde id conſequens, vt potiùs à morte quàm à contractu habeat hypothecam, ne miſeri creditores, qui poſt contractas nuptias crediderunt, ſuum amittant. Secundò, quia in creditoribus conditionalibus, neque cedit, neque venit dies, i. neque incipit deberi pecunia, neque venit ſolutionis dies, niſi à tempore exiſtentis conditionis. l. cedere diem, D. de verb. ſignific. Cùm ergo mulieri hoc lucrum debeatur ſub iſta conditione, *ſi vir præmoriatur*, conſequens eſt, vt non incipiat obligatio, niſi à tempore mortis mariti, neque etiã hypotheca, niſi ab eodem tempore. Tertiò in donatione facta à viro mulieri conſtante matrimonio præferuntur mulieri ij creditores hypothecarij, qui poſt eam donationem crediderunt, quamuis morte confirmata hæc donatio à tempore contractus vires aſſumat ex l. donationes quas. C. de donationibus int. vir. & vxor. At plura ſunt quæ pugnant ex aduerſo, quæque illud euincunt, natalem huius hypothecæ diem ad tempus contractus eſſe referendũ. In primis iuris regula quæ vult, creditores conditionales hypothecam habere à tempore contractus, aut ſaltem ad id tempus eam retrahi conditione exiſtente, modò non fuerit ea conditio in poteſtate debitoris, eóſque præferri ijs creditoribus qui poſtea ante conditionis euentum rem eandem pignori acceperunt, l. qui potior in princ. & l. qui balneum, D. qui potior. l. ſi filiusf. D. de verb. oblig. Aliud tamen obtinet ſi fuerit conditio in poteſtate debitoris, i. ſi ei licitum fuerit à contractu reſilire & eam pecuniam non accipere, cuius cauſa fuit contracta hypotheca, l. i. D. qui potior. & l. penult. D. quæ res

pign. vel hypoth. Conditio autem, *ſi vir præmoriatur*: de qua nunc agitur, eſt caſualis, nō in poteſtate aut mariti, aut vxoris, vnde efficitur vt ea exiſtente idem omnino ſit ac ſi purè ab initio obligatio extitiſſet. Secundò diſertè tradit Iuſtin. in l. ſi conſtante, C. de donat. ante nupt. ſi conuenerit conſtante matrimonio vt augeatur donatio propter nuptias: atque ex huiuſmodi augmento mulier aliquid lucretur, habere mulierem in huiuſmodi augmento hypothecam, ab eo tantùm tempore quo id actum eſt, non verò à tempore prioris contractus, quo conſtituta fuit antiqua donatio propter nuptias. Semper igitur ad tempus contractus refertur hypotheca, nempe ad primum contractum prioris donationis nomine, ad ſecundum pro augmento, ſiue acceſſione donationis. Tertiò fortiſſimum præbet argumētum lex *vbi adhuc*. C. de iur. dot. vbi permittitur mulieri hypothecariam actionem exercere pro dote & donatione propter nuptias conſtante matrimonio, & ante mortē mariti, eo nimirum ad inopiam vergente: quod non fieret ſi à die mortis tātùm haberet hypothecam. Sed id luce clarius ex Nouella de priuileg. dot hæret. mulier non præſt. idque erit 4. argumentum, vbi Iuſtinianus, *In donatione*, inquit *propter nuptias ſecundùm tempora, per quæ fiunt, hypothecas habere mulieres, omnibus facimus manifeſtum*. Quæ verba nihil aliud ſonant, niſi habere mulieres hypothecam ab eo tempore quo huiuſmodi donationes fiunt: A tempore contractus igitur, non à tempore mortis quo exiſtit conditio. Quintum eſt ex Nouella de æqualit. dot. §. his conſequens, vbi conſtituit idem Iuſtin. vt mulieri tempore priori præferatur

is qui pecuniam dedit ad emendam, vel reſtituẽdam domum, in donatione propter nuptias, non in dote. Tempore prior mulier eſſe non poteſt, niſi antè tẽpus mortis mariti hypothecam habeat. Vnde conſequitur vt ad tempus contractus referri debeat hypotheca, cùm ad aliud non poſſit. Sextum ex Nouella, *vt immobili. ante nupt. donat. neque hypot. dent.* Vbi cauetur, ne maritus bona immobilia antè nuptialis donationis alienare, aut hypothecæ obligare poſſit conſtante matrimonio, ne poſtea mulier præmoriente viro difficulter lucrum ex illa donatione ſibi debitum conſequatur, vtque huiuſmodi vẽditio aut hypotheca pro non ſcripta ſit: vnde infertur fuiſſe iam mulieri paratum & acquiſitum ius in huiuſmodi bonis ſibi ſuppoſitis donationis propter nuptias nomine à tempore contractus. Septimum erit eiuſmodi, ſi à tempore mortis tantùm haberet mulier hypothecam, non autem à tempore cõtractus, penè inane & fruſtratorium eſſet mulieri iſtiuſmodi beneficium, & quaſi ficulnum (vt dicitur) auxilium. Semper enim omnium poſtrema exiſteret mulier, nec vllum vnquam creditorem hypothecarium tempore ſuperaret, prodeſſet quidem mulieri huiuſmodi hypotheca aduerſus chyrographarios creditores, ſed ſi ea Iuſtiniani mens fuiſſet vt ijs tantùm anteponeretur, priuilegium exactionis ei dediſſet ſolùm, non etiam hypothecam. His non addo legem *res vxoris*. C. de donat. int. vir & vx. & legem *ſi quis poſthac*. C. de bon. proſcript. Vbi vxor condemnati, cuius bona confiſcantur, fiſco præfertur in lucro donationis propter nuptias. Id enim ideo efficitur, quia omnes creditores hypothecarij in pœnis fiſco prę ferun-

tur, extit. Pœnis fiſcal. cred. pr. lib. 10. C. Superioribus verò argumentis ita ſatisfieri poteſt: Ad primum dicendum eſt fauere mulieribus Iuſtinianum etiam in lucro, in eo quod eis tacitam dedit hypothecam, quam nemo habet, niſi ſpeciali iure & ex priuilegio: Et quod dicitur in d.l. *aſſiduis*. id ita exaudiendum, non vſque eò eis fauere, vt priuilegium det prælationis, quod dedit in dote. Sed remoueatur omnis ſpecialis fauor: vtantur ſaltem iure communi quo vtuntur omnes, quibus non conceſſum aliquid ſpecialiter. Id ſi fiat, habebit mulier hypothecam à tempore contractus, propter eam regulam, quam poſuimus ab initio in creditoribus conditionalibus conditionem, quæ non eſt in debitoris poteſtate, exiſtentem ad tempus contractus retrahi. Ad ſecundum, id admittendum, neque incipere deberi pecuniam, neque peti poſſe niſi à tempore mortis: ſed negandum quod inde infertur, Non habere igitur hypothecam mulierem, niſi à tempore mortis: exiſtente enim cõditione, idem eſt, ac ſi ab initio inita obligatio fuiſſet, eò quod retrotrahatur conditio ad tempus contractus per eandem regulam. Ad tertiũ, reſpondendum diuerſam eſſe cauſam donationis propter nuptias & donationis ſimplicis factæ à viro vxori, conſtante matrimonio, eò quòd in donatione ſimplici mulier non habeat hypothecam, vt in donatione propter nuptias, & quòd infirma & debilis exiſtat, vt legibus prohibita. Illud ergo tandem cõcludamus, Mulierẽ in donatione propter nuptias. i. in augmento & hypobolo hypothecam habere ab eo tempore quo defunctus eſt maritus, & iuxta hãc ſententiam non ita multis abhinc annis iudicatum

fuiſſe memini in præſidiali curia huiuſce vrbis, in qua iudicandi munus me per aliquot annos obiiſſe nunquam pœnitebit, antea tamen aliud obtinuiſſe in eadem curia quidam affirmabant: ſed cùm iuris errore & praua conſuetudine id inuectum fuiſſe conſtaret, vicit tandem almá veritas, & mulierum fauor.

***

FINIS LIBRI TERTII.